





1
6
473











I

DE NATVRA ET CVRATIONE MALIGNAE FEBRIS LIBRI IIII.

THEODORO ANGELVTIO A BELFORTE PHILOSOPHO AC MEDICO AVTHORE

AD ILLVSTRISS. ET REVEREN. CARDINALEM PALLOTTVM.

Cum duplici Indice altero capitum, rerum & verborum altero.

CVM PRIVILEGIO.





VENETIIS, Apud Robertum Meiettum. M. D. XCIII.

A 3

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDIS. CARDINALI EVANGELISTAE PALLOTTO DE CALDEROLA, CONSENTIÆ EPISCOPO;

Theodorus Angelutius Medicus S. P. D.





VM editio instaret (Cardinalis Illustrissime) operis huius, quod ego de natura, & curatione malignæ febris elapso anno compofueram; proximumq́ue esset, vt vela ventis permitterentur; diuinitus (credo) factum est; vt mihi de patrono aliquo fœtui meo inueniendo anxie cogitanti

ex Agro Picœno per literas ſignificatum fue-
rit, te virum grauiſſimum, & Cardinalem
ampliſſimum, cum eſſes Calderolæ; hone-
ſtiſſimos de me ſermones habuiſſe; multa-
q́ue dixiſſe, quæ propenſiſſimam volunta-
tem in me, & labores meos, quos in palæſtra
literaria perfero, aperte, manifeſteq́ue oſten-
derent: quo nuncio ita ſum recreatus, ac ſi
ſumma aliqua fęlicitas mihi illa die obtigiſ-
ſet. Quapropter Deo Optimo, & Maxi-
mo gratias ſtatim ingentes egi; quod me in-
ſcium, & immœrentem in tui gratiam inſi-
nuaſſet; hominemq́ue ex patria exulem, &
calamitatum fluctibus penè obrutum eo bo
no cumulaſſet; quod Principibus viris, & Re-
gibus ipſis optabiliſſimum videri poterat.
Ipſe vero quantę id tibi laudi duci exiſtimas,
charitate præuertere hominum, qui te vni-
ce obſeruant, & ſuſpiciunt officia; viq́ue hu-
maniſſimæ, & benigniſſimæ beneuolentiæ
ab aliorum animis ardentiſſimos & æſtuan-
tiſſimos amoris ignes extorquere? nihil eſt,

(auſim

(auſim dicere) in Deo omnis bonitatis fonte maius, quàm amore, mortales ad ſe viciſſim amandum allicere; illique proinde, qui Dei hanc virtutem imitantur; omnium maxime diuini, & Dei ſimiles cenſendi ſunt. Egoq́ue (vt verum ingenue fatear) te, & tua in Chriſtianam Rempublicam merita maxima veneratione, atque amore antea proſequebar; memoria ſępe repetens tum ſanctiſſimos illos, amabiliſſimos, & vere angelicos mores; qui me adoleſcentem Romæ paucos dies morantem in tui admirationem vehementer traxerant; tum quidquid deinde de Datariatu iuſtiſſime perfuncto; de inſigni religione, & pietate; de magnifica templorum extructione; de vberrima in pauperes munificentia, & liberalitate; de ſumma in omnes clementia; de gratiſſimi animi in eos, à quibus beneficium acceperas, ſignificatione; & de incredibili in rebus omnibus prudentia conſtans fama apud omnes nationes percelebrauit; ac pro ea, quæ omnibus indi-

ta eſt,

ta est, in patriam charitate tacitus gaudebam CALDEROLAM BELFORTI quæ mihi patria est, peruicinam, fermeque contiguam virum produxisse tam eximium, tot virtutibus clarum, tanta amplitudine fulgentem, purpuraque, Magistratibus in alma vrbe præcipuis; nobilissimo Consentiæ Episcopatu, & alijs plurimis honoribus, ornamentisque conspicuum. At postquam intellexi te non modo esse memorem mei, quocum nunquam post lustra aliquot fueras locutus; non modo amare absentem, qui tibi ob maximas tuas, & grauissimas occupationes excidisse animo certissime credebat; sed etiam affirmare, te habere Theodorum tuum, à quo summopere diligebaris, cordi intime, & expresse insculptum; exarsi penitus amoris ignibus; mihique vita ipsa acerba visa est, quòd amoris æstu non tota liquesceret; quodque viribus careret, quibus tantæ Præstantissimi Principis in se benignitati responderet. Me miserum,

ſerum; in quo facultas debita officia repen-
dendi infinito penè interuallo ab animi ma-
gnitudine vincitur; ſed tu pro tua ſolita in
omnes humanitate; & pro ea, quæ tibi ma-
xima ineſt Deum perfecte imitandi conſue-
tudine, impotentiam excuſabis, atque ad
vnum animum reſpicies; qui tibi alacritate
maxima omnia deuouet, omnia dedicat,
quæ poteſt; plura, & maiora dedicaturus,
cum plura, & maiora poterit. Eſto vero
tuæ in me pleniſſimæ authoritatis, domina-
tionisque initium lucubratio hæc de mali-
gnis febribus tibi in deditiſſimæ clientelæ,
obſeruantiæ, obſequij, & ſeruitutis ſignum
conſecrata; quam ſi tibi gratam cognouero
fuiſſe; irrequieto animi mei deſiderio ex par
te ſaltem ſatisfecero; fructumque ex labo-
ribus meis ipſe mihi non paruum videbor
conſequutus. Vale Cardinalis ampliſſime;
iterumque, atque iterum vale, & tuis ma-
ximis, ac verè regijs ornamentis, quæ digniſ-
ſima ſunt, vt ab omnibus in cœlum feran-
tur

tur vtinam illud dignitatis, potestatisque fastigium aliquando accedat; quod supremum inter homines putatur. Venetijs IX. Kal. Ianuarij anni Domini M. D. CXIII.



AVTHOR MEDICINAE STVDIOSIS.





VO sunt (Lectores optimi) de quibus in ipso operis vestibulo diligenter mihi estis admonendi: alterum est; ita me difficilem hanc de natura, & curatione febris malignæ materiam tractasse; vt non pauca ad hoc genus pertinentia vestro ingenio, labori, & iudicio deducenda, disponendaq; reliquerim; quia meus hic est mos, attingere solum veritatis summam, via studiosis indigitata, quæ ad philosophandum est facilior, & expeditior; modesteq; et liberaliter omnibus communicatis, quæ Hipp. Aristotelis, & Galeni libros accuratissime versanti per me lucis, & opis aliquid afferre possunt. Illi igitur, quos piget

diurna, & nocturna manu priscorum volumina vertere; lucubrationesq; respuunt, quæ illos in laboriosam arenam contemplationis, atque in lectionem multam antiquitatis impellunt; sibi sciant hos libros scriptos non esse. Consilij ratio hæc est. Viri illi, quos proxime nominaui, fuerunt in indaganda, & docenda veritate præcipui, & maximi; librosq; reliquerunt doctrina & sapientia refertißimos; ac sanè dignos, in quos vnos posteritas tota tanquam in fulgentissima quædam Philosophiæ, et Medicinæ lumina semper intueretur: perenniq; & multorum sæculorum experientia obseruatum est, neminem philosophando, & medendo multum profecisse; nisi quem summus, & constans vetustatis amor tenuit; hinc inita mihi deliberatio vos scriptis meis non auocandi à cultu veteris disciplinæ; sed contra ad illum alacriores, & magis impigros reddendi: quid vero est multas, & interdum integras paginas, addo etiam, libros ex antiquitate sine pudore exscribere; ex Priscorum penu centones miscellaneos, indiscreta breuiaria,

uiaria, aut confusas, & monstruosas colluuiones coaceruare, putri suorum inuentorum telæ veneranda vetustate improbe & audacissime assuta, nisi inde auertere vos, in quod toti incumbere debetis? nisi se alienis plumis incompte ornatos doctis omnibus ridiculos præbere? num tanta impudentia codices à sapientibus relictos diriperent, expilarent, atque in insulsissimos suos commentarios regererent; nisi constantem fidem haberent vos antiquis per ignauiam posthabitis ad se nouos magistros animum esse applicituros? Hoccine docere est, ac non potius veritatem obscurare, legentium ingenia corrumpere, & imperitam plebem malo quodam suo à volutanda antiquitate abhorrentem perdite ludificari? Hæc ego non eo animo scribo, quòd cuiusquam laboribus detractum velim, sed vt ostendam non male fecisse me, qui, sicubi ex Hipp. Arist. Galeno, & alijs multa, & longa in disputationis tractu ad totius operis absolutionem desiderabantur; locos tantum, & fontes indicarim; ex quibus illa sibi

comparare per se quiuis potest, mente affatim, & largis scientiæ haustibus refecta: quanquam neque meas ipsius cogitationes, & inuenta ita plane scripta volui, vt viderer de vestro ingenio omnino diffidere: etenim vestra humanitate, & patientia abuti est; tum infantili oratione persequi minutissima quæque, tum inanes verborum ductus, aut longe adscita additamenta rebus ordine, expresse, & solide deductis addere; quo liber in maiorem excrescat molem; ingenti vobis thesauro subrepto per morosæ lectionis occupationem; videlicet tempore. Alterum est, quod cupio vos amice, & beneuole in mei gratiam considerare. Dudum scripserunt de maligna febre Coyttarus, & Mercatus, viri de re Medica optime meriti; doctrinaq;, & opere exercitatissimi; quorum decreta iterum, atque iterum legi; laboresq; non paucos subij, vt mihi per veritatis latebras discurrenti splendor aliquis ab illis illuceret; at recens, & paucis abhinc mensibus de re eadem lucubrationem edidit Octauianus Roboretus, Medicus Tridentinus;

tinus; eodem fermè tempore, quo Eustachius Rudius, vir doctus, mihiq; honestæ amicitiæ vinculo coniunctus, & Pius Aeneas Caprilius, Medicus Ferrariensis de omni febrium genere cognoscendo, & curando libris editis disseruerant. Horum trium monumenta legi (vt verum fatear) cupidissime; nihil tamen eorum lectione libris hisce meis aut additum, aut detractum, aut in nouum examen vocatum est, quia quo tempore cœperant illa in lucem emitti; vagabantur hi per approbatorum manus; qui Venetijs multi sunt; Typographusq; in re per se ardua, longa, & difficili profecerat adeò, vt ab incœpto pedem referre citra dispendium insigne minime liceret. Sic igitur censete; de febre maligna cognoscenda & curanda postremum omnium me esse philosophatum; non tamen postremum esse; quandoquidem Scriptores priores de re proposita non alios habui, quos imitarer, nisi Ioannem Coyttarum, & Ludouicum Mercatum. Valete, candoreq; eo, quo soletis, iudi-

cium

cium ipsi facite, quis nostrum in hoc scribendi genere cum maiori vestrum emolumento versatus fuerit.



VIII

FABII PAVLINI PHILOSOPHI, ET GRAECAS LITERAS VENETIIS PVBLICE PROFITENTIS.



Græcia diuinos Coo decreuit honores
Grata seni dira libera facta lue.
Id sibi si liceat THEODORE Europa malignam
Febrim curare, & noscere docta daret.
Quod licet illa dabit, decus immortale legetq;
Donec febris erit scripta librumq; suum.

EIVSDEM

Νῦν Θεόδωρος ἀληθῶς ἐσσὶ καὶ Ἄγγελος ἀνδρῶν
ὀλομένην πυρετοῦ τὴν φλόγα σβεννύμενος.

MARCI STICHINI.

Ingenij sacros partus si carpere quisquam
Hos ausit, Niobes damna necemq; feret;
Horum nam Phœbus custos, arcuq; minatur
Atque ait; hic decorat numina nostra liber;
Hæc ope scripta mea THEODORVS texuit ille
Quem docui, Aonides quemque aluere sinu.

INDEX EORVM, QVAE SINGVLIS LIBRIS, ET CAPITVLIS DECLARANTVR.



Libro primo agitur de natura, causis, & signis febris malignę hoc ordine.

Libro secundo agitur de præsidijs chirurgicis ad malignam febrem.

Libro tertio continentur præsidia pharmaceutica contra malignam febrem hac serie.

Libro quarto comprehenduntur præsidia diætetica ad febrem malignam.

DEO GRATIARVM ACTIO.



INDEX RERVM ET VERBORVM COPIOSISSIMVS.



Artem

Cordis

Exic-

INDEX:

H

I

Ioanne-

INDEX.

Vomi-

FINIS.



ERRATA TYPOGRAPHICA INSIGNIORA

ſic corriguntur. Primus numerus indicat paginam. Secundus lineam: a, ſignificat anteriorem; b, poſteriorem partem paginæ.

Pagina.		*Linea.*	*Errata.*	*Sic corrigito.*
1	*b*	8	*ſalute.*	*ſalutem.*
2	*a*	12	*benignns.*	*benignus.*
3	*a*	18	*ſicurißimis.*	*ſecurißimis.*
3	*b*	6	Solis.	*ſolis.*
3	*b*	7	*Solis.*	*ſolis.*
7	*b*	2	*primo.*	*primi.*
7	*b*	13	*potitam.*	*poſitam.*
9	*b*	11	*qualitatem.*	*qualitates.*
13	*a*	19	*cur.*	*vir.*
18	*b*	31	*amor; locutionis.*	*amor; odium locutionis.*
27	*a*	13	*putreſeant.*	*putreſcant.*
31	*a*	13	*ſuiſſet.*	*fuiſſet.*
32	*b*	8	*quapiam.*	*quampiam.*
45	*b*	16	*carenoſi.*	*carnoſi.*
45	*b*	23	*mißionem.*	*mißione.*
52	*a*	17	*eum.*	*cum.*
52	*b*	17	*ſubiectæ.*	*ſubſtantiæ.*
53	*a*	24	*Ruſus.*	*Rufus.*
54	*a*	6	*eiuſdem.*	*eorundem.*
58	*a*	8	*concluſirat.*	*concluſi at.*
59	*a*	24	*patiente.*	*potente.*
63	*a*	9	*exurgant.*	*exſugant.*
63	*a*	21	*lateris.*	*lateres.*
63	*a*	27	*cœpto.*	*cœpti.*
64	*a*	3	*firme.*	*ferme.*
64	*b*	30	*nuliam.*	*nullam.*
71	*b*	21	*eriticas.*	*criticas.*
72	*a*	14	*exugatio.*	*exſuctio.*
72	*b*	16	*deſtinentur.*	*diſtinentur.*
73	*b*	6	*portis.*	*partis.*
75	*a*	5	*prodeunt.*	*prodſunt.*
77	*a*	29	*religatur.*	*ſeligatur.*

80	b	25	*ac reum.*	*aereum.*
83	b	28	*febris.*	*fibris.*
84	a	13	*mediocrem.*	*mediocre.*
85	b	24	*tamen.*	*tum.*
88	b	27	*ſect.*	*ſecund.*
90	b	7	*augere.*	*agere.*
91	a	21	*montitatione.*	*motitationem.*
92	b	15	*febre.*	*fere.*
96	a	14	*quæ non per.*	*quæ per.*
102	a	31	*febris.*	*febres.*
105	b	8	*excidat.*	*excedat.*
108	a	6	*monere.*	*mouere.*
111	b	8	*iubet.*	*lubet.*
112	b	26	*acris.*	*aeris.*
116	a	24	*verbenacca.*	*verbenaca.*
117	b	24	*Braxauolus.*	*Braſauolus.*
118	a	21	*mæthologiæ.*	*mythologiæ.*
121	b	13	*methologiæ.*	*mythologiæ.*
125	b	7	*notam.*	*notum.*
125	b	9	*frangrantibus.*	*fragrantibus.*
125	b	16	*caldiaca.*	*cardiaca.*
125	b	20	*quondam.*	*quandam.*
129	b	30	*febris.*	*febres.*
130	a	16	*præterea qua.*	*præterea putredo qua.*
130	b	8	*febris quam putredo.*	*febris quam obſtructio.*
132	b	16	*alterius.*	*alternis.*
132	b	17	*alterius.*	*alternis.*
134	a	25	*ſic morbus.*	*hic morbus.*
135	a	17	*ſudor &.*	*ſudore &.*
137	a	6	*vtriuſcuiuſque.*	*vniuſcuiuſque.*
137	a	25	*quos.*	*quoque.*
143	b	3	*Thrinerius.*	*Thriuerius.*
144	a	12	*terminibus.*	*Torminibus.*
147	a	21	*frigeſcant.*	*frigeſcunt.*
149	a	24	*firmè.*	*fermè.*
150	b	21	*febres.*	*febris.*
152	a	19	*qualitatem.*	*qualitatiuam.*
152	a	29	*atteſtantur.*	*atteſtatur.*
153	b	19	*diariæ.*	*diaria.*
155	b	29	*ſyncope.*	*ſyncopi.*

DE NATVRA, ET CVRATIONE MALIGNAE FEBRIS LIBER I.



Quid sit morbus malignus, & febris maligna. Cap. I.



DE maligna febre recte, accurateque scribere facinus esse fateor arduum, & ingens; ex quo difficile est cuiquam doctrina, & opere quantumuis exercitato gloriæ multum sperare. Mihi tamen, qui neque docenda, neque facienda Medicina multum valeo; decretum est tantisper in hoc genere versari, dum alius quispiam doctior me, & exercitatior me exemplo motus magnam hanc, & laboriosam prouinciam velut postliminio suscipiat; cui spem habeo opellam hanc meam lucis non parum esse allaturam; tum quia in plurimis anno præsertim elapso, atque etiam in meipso huius morbi cum exanthematis curationem expertus sum: tum quoniam huic rei bene, & ad vnguem intelligendæ plurimum inuigilaui multorum lectis, relectisque, & in examen vocatis eruditissimorum hominum lucubrationibus; & non paucis exantla-

tis laboribus, vt illorum Medicorum, qui apud nos doctissimi habentur, de ea consilia, cogitationesq́; cognoscerem; vtpote qui non ignorabam nulla mortales frequẽtius, iuxta & periculosius ægritudine conflictari, quàm maligna febre: & nihil æque ad Medici famam, & existimationem augendam facere, vt de illa prudenter curata victoriam. quòd si mea opinio me fallit; nullusq́; ex meis vigilijs fructus, & emolumentum manare in ægrorum salute potest; animi saltem pietatem erga mortale genus; & propensissimam ad illud iuuandum voluntatem non improbent: quandoquidem in incœptis egregijs, & difficilibus etiam voluisse dignum laude censetur. Totius operis principium vera, exactaque maligni morbi, & malignæ febris diffinitio sit; quoniam hac ignorata, illa etiam quæ sequuntur, ignorari necessum est. Gal. lib. 3. de crisibus. cap. 3. & 4. distinguit in morbo speciem, magnitudinem, motum, & morem, vt morbi benigni dicerẽtur bene morati, maligni male morati ab antiquissima veterum in loquendo consuetudine desumptum est. Hippoc. lib. 3. prognost. 2. simplicissimæ (inquit) febres, ac signis firmatæ securissimis quarto die, aut citius cessant; pessimæ verò, ac cum signis grauissimis factæ quarto die, aut citius interimunt. in quem locum scribens Gale. notat ex Dinarcho, ex Demosthene, & ex Platone nomen εὐήθεις, hoc est simplex significare hominem probum, & bene moratum; proindeque Hippoc. per febres simplicissimas intelligere placidissimas, ac mitissimas febres: per pessimas verò intelligere illas, quæ maleficæ sunt, hoc est malignæ. idem Gal. lib. 3. de crisibus, cap. 3. morem (inquit) voco, si moderatus, & mitis, vel prauus, atque malignus. Mos igitur genus commune est benigni, & maligni morbi, atq; ob id intelligere nemo potest illud, in quo maligni morbi

natura

natura posita est, nisi ante intellexerit, ecquæ nam ea sunt, per quæ mos distinguitur in vnoquoque morbo ab illius specie, motu, & magnitudine. Morbi species, & item motus quid significet non est opus multis differere: est enim morbi species idem, quod illius essentia, & natura. Gal. loco proxime citato, oportet (inquit) inspicere speciem morbi, si tertiana, vel quotidiana, vel febris ardẽs, vel pleuritis, vel peripneumonia. & c. 4. eiusdem libri ab hisce (inquit) omnibus differt motus, & ex tempore partium accessionis comprehenditur: illud multo difficilius est assequi mos, & magnitudo morbi inter se quid differant. Gal. lib. 3. de crisib. eodem 4. cap. si benignns (inquit) aut malignus fit morbus ex subsequentibus ipsum accidentibus noscitur, quæ omnia ferè Hippoc. in prognost. enumerauit: in his autem annumerare oportet coctionis, & cruditatis signa: magnitudo verò, & motus morbi ab his diuersa sunt: debiles quidem, & paruæ febres, quandoque valde malignæ sunt, & aliæ calidæ, atque incendentes, vt stomacho angustiam, & calorem, & sitim intollerabilem afferant, nihil tamen habènt nonnunquam periculosum: dictum autem & prius est, quòd siue vehementiã, siue magnitudinem morbi quispiam velit nominare, nihil differt. Et paulopost, idea (inquit) morbi ex proprijs accidentibus cognoscitur, magnitudo ex eorundem quantitate: mos autem ex accidentibus superuenientibus, quæ praua sunt, aut bona. Ex dictis colligitur morem esse qualitatem quandam morbo aduentitiam, qua est signorum superuenientium causa. Id, vt melius percipiatur, signorũ genera in medium sunt adducenda. Gal. lib. 3. in tert. de morb. vulg. commen. 34. signa diuidit in pathognomonica, & assidentia: subditq; pathognomonica se parari à morbo non possunt, & affectus (vt ita di-

cam) constituunt essentiam: asidentia verò ex ijs sunt, quę sæpe morbis accidunt. idem commen. 12. libri primi aphorismorum, nonnulla (inquit) signa significant pasionem, aliqua asident, aliqua iudicant, aliqua coctionem, aliqua cruditatem, aliqua salutem, aliqua perniciem ostendunt. Non potest absolute dici signa superuenientia esse eadem, quæ signa asidentia. primum quia Gal. commen. illo 12. in primam sectionem aphorismorum scribit, signa asidentia significare interdum proprias eius morbi differentias, cui asident. In morbo (inquit) laterali acuta quidem febris vnà cum spirandi difficultate, & tusi, & dolore lateris pungenti signa pasionis significatiua nominantur: quòd autē dolor, aut ad hypochondrium, aut ad clauim pertineat, asidentia dicūtur, sicuti quòd facilius in latus patiens, quàm in alterum decumbat æger ad idem genus asidentium attinet: at signa superuenientia, quæ morbi morem demonstrant neque morbum, neque morbi proprias differentias, neque morbi tempora, neq; denique quicquam, quod per se ad morbum pertineat, posſunt significare. Deinde Gal. eodem loco distinguit manifeste signa asidentia à superuenientibus; subdit enim sic, scripsit autem & Praxagoras Nicandri filius, duo volumina de asidentibus signis, de ijs autem, quæ superueniunt vnum alium, ac si de mox apparentibus inscriberetur. hæc igitur mox apparentia, inquit Hippoc. & bonam morbi iudicationem, & malam, morbumq; vel longum, vel breuem futurum ostendere. hactenus Gal. non item potest affirmari signa superuenientia esse eadem, quæ iudicatoria signa, tametsi id Gal. loco proxime citato innuere videatur, quia idem Gal. vbi considerat rem hanc exacte differre scribit signa moris, & iudicatoria signa. li. 3. de crisib. c. 4. cum (inquit) superuenientia accidentia trifariam

riam diuidantur,in ea.s. quæ morem morbi natura ostēdere apta sunt, & in ea quæ affuturam proxime crisim denunciant,& quæ non solum signa,sed etiam causas crisis posuimus; primum quidem ex his simplex est genus, nam quædam ipsorum praua,quędam verò bona perpetuo existunt: secundum verò, & tertium non semper, neq; idem facere, neque ostendere aptum est, sed secundum morbi tempora variatur:non sunt eadem quæ signa salutis,aut mortis,quia malignitas febris, & signa praui moris non tollunt signa salutis. Gal.lib.1.prorhetic. commen.14. malignos (inquit) morbos appellamus,quicunque periculum minantes spem salutis non adimunt. Non referri signa superuenientia ad cruditatis,& coctionis signa, vel hinc perspicuum est maxime,quia si praui moris signa stare possunt cum signis salutis,multo est probabilius cum coctionis signis illa stare posse.hinc Hippoc. prognost. illo 2.libri tertij innuit,diuersas res esse febrem esse simplicissimam, idest benignissimam, & si quis firmatam esse sicurissimis, at in signis sicurissimis non salutis modo, sed etiam coctionis signa numerantur. Deinde in illis morbis magnis, qui sua magnitudine necē afferunt ægroto.v.g. in febre supra omnem fidem ardentissima,&acutissima nulla subest suspicio malignitatis:adsunt tamen ijs necessario cruditatis signa, quia vt Gal. sæpe docet,cum signis coctionis nemo vnquam interijt:sunt igitur inter se diuersa cruditatis,& praui moris signa.quid igitur? num dicemus Gal.his duobus locis,quibus signorum diuisionem fecit,boni,& mali moris signa prætermisisse, illaq; nullo diuisionis membro comprehēdisse? Priori illo loco, commen.nempe 34. libri tertij, in tertium epidemiorum certum est Galenum appellatione asidentium signorum etiam superuenientia intellexisse:cum enim diuisisset signa

in pa-

in pathognomonica,& aſsidentia,dixiſſetq́ue ſigna patho-gnomonica eſſe propria affectus,quo laborat æger;aſsiden tia verò eſſe communia, & alijs quoque affectibus conue-nientia,ſubdit poſt pauca de proprijs, & de communibus ardentis febris ſignis orationem habens [neq; enim mera in Solis ardentibus febribus bilioſa alui reddũ t, neque his Solis ſyntexis,ideſt colliquatio accidit; verũ ſunt hæc qui-dem ſymptomata maligna, & exurentium febrium.] loco poſteriori commen.in quam 12.in primã ſectionem apho-riſmorum probabiliſsimum eſt Galenum ſuperuenientia ſigna aſsidẽtium ſignorum ſpeciem putaſſe,quia deſcriptio illa aſsidentium ſignorum, [quæ verò aſsident,aliquando ſimul inuadunt,aliquando ſuperueniunt;nonnunquam ve rò neque omnino veniunt, neque enim ſunt à morbo inſe parabilia,neque eorum velut ſubſtantiam conſtituunt, ſed proprias faciunt differentias.]communiſsima eſt,& maxi-me generalis ſigna comprehendens omnia quæ modo quo uis morbo ſuperueniunt. neutrobiq́ue tamen Galenus ex-poſuit,quid proprie ſint ſuperuenientia, ſeu moris digna. tentemus nos aliquid duce tamen Gal.lib.3.de criſib. c.4. ſcribitur proprium eſſe illorum ſignorum ſuperuenientiũ, de quibus oratio eſt,vt non vno tantũ,vel altero, ſed quo-cunque morbi tempore appareant,& æqualiter bona ſint, vel mala.lib.3.in 3.epid.tex.34.ſcripſerat Hippo.ita febriũ ardentium,quæ vigebant,hæc erat natura;initio comatoſi erant,faſtidioſi,inhorreſcebantq́ue,febris non acuta, neq; magnopere erant ſitibundi,neque deliri, quæ ſigna cõſtat eſſe ſuperuenientia, & ad morem pertinere, at de illorum natura ſic Gal.initio commenti philoſophatur, quæ ſym-ptomata propter eam,quæ tunc erat,tempeſtatem, arden-tibus febribus euenirent, non propria morbi ratione, hæc

anno-

annotat Hippoc. idem Gal.lib.2.in 3.epidem.ægroto 10. acutam (inquit) fuisse, & magnam febrem cum quod dicit [igni est correpta] significat,tum quod addit; [lingua arida,sitibunda.] at vero [fastidiosa] febris demonstrat, qua tenebatur,malignitatem.commen.43. in quartam sectionem aphorismorum, distinguit febres continuas malignas à febribus continuis, quæ ex interna aliqua inflammatione ortum habent. Ex his deducitur signa superuenientia aduentitiæ cuiusdam qualitatis ad morbi exitum bonum, vel malum plurimum facientis in morbo, vel morbi causis repertæ esse significatiua. aduentitiæ inquam, quoniã neque ad qualitatem,in qua morbosa dispositio per se consistit,neque ad illius varia tempora,neque ad illius magnitudinem hoc est intensionem,neque ad illius proprias causas per se,& naturaliter reducitur. Similis est malignus morbus vulneris per se exigui,quod tamen venenum gladiolo inditum lethale fecit. Res exemplis declarabitur, bilis putrefacta quatenus putrefacta febrem gignit, quatenus bilis febrem gignit tertianam, quatenus ore ventriculi fortiter vellicato syncopem,& ciborum fastidium inducit,naturalemque ventriculi totius facultatem labefactat, febrem gignit malignam:idem dicendum de humoribus alijs corruptis,seu puri,& sinceri;seu impuri,& permixti illi sint;& seu in os ventriculi,seu in cor,seu in caput,seu in partes solidas illas colliquando virus suum transmittant. obijciat aliquis ita, malignitas febris consistit in sordida humorum putredinè,quemadmodum,& pestilentia,vt post dicetur; putredo est causa per se febris; cur igitur & illius sordities febris non sit per se causa? cur negare sorditiem putredinis ad putredinem per se, & naturaliter reduci? Putredo est per se causa febris,quatenus in re putri calor viget,& dominatur

ambien-

ambientis, facit enim calor calorem. Eadem sordida est, quatenus à re putri naturalis calor abijt, à calore ambientis eductus, & euocatus: calor naturalis potest abijsse ambientis calore paulopost remisso, & fortasse etiam extincto, vt ambientis calor naturalem calorem abire citius, & facilius faciat, non solum est ab illius vehementia, & magnitudine, sed etiam ab alijs causis, v.g. à mollitie, ab exiguitate, ab imbecillitate innati calidi: à pertinacia & diuturna mora caloris ambientis [vis enim minor lõgiori mora plus potest, quamuis maior, quæ breuem, & momentaneam faciat impressionem] à substantia tenui, & facilè penetranti ambientis. ab adiunctis vt à copia cruditatum, quæ obruendo, & suffocando naturalem calorem opprimunt, illumque ambientis calori valide resistere non sinunt. Sordicies ergo putredinis, neque febrem per se facit, aut adauget, neq; ad putredinem ꝑ se reducitur, quatenus hæc est febris causa: inducit tamen malignitatem viribus naturę imminutis, & languidioribus redditis, quia vndecunque naturalis calor abeat, etiam ex humore aliquo pauco, & vires totæ imminuuntur maxime ob sympathiam, atque agnationem, quæ est inter continentia, & cõtenta, & putredo citius per omnia grassatur sede iam firma, & stabili acquisita. Cũ cõstet, quæ sint signa superuenientia moris significatiua, non est difficile complecti animo quid sit mos; quatenus à specie, magnitudine, & motu distinguatur; & quinam sint morbi bene, vel male morati. Contra hæc, quæ de more, de signis superuenientibus, & de morbis benigno, ac maligno decreta fuerunt, multæ sunt obiectiones. Prima, malignitas videtur ex communi hominum in loquendo consuetudine significare obscuram, & insidiosam hostilitatem, cuius contrarium est & apud Græcos, & apud Latinos simplici-

tas, hoc

tas,hoc eſt,candor, & ingenuitas; Virgilius in illo verſu
Quale ſub incertam Lunam, ſub luce maligna;
malignam lucem vocauit illam,quæ ſuboſcura eſt: morbus igitur malignus is dicetur, qui occulte, & inſidioſe prauus eſt: benignus ille,qui aperte,& manifeſte eſt bonus. Secunda,non eſt verum diſtingui malignitatem à magnitudine, lib. 1.ad Glauconem,cap. 1.quantum (inquit Gal.) vnumquodque à naturali ſtatu recedit; ad tantam morbus magnitudinem peruenit: at malignitas morbi aliud non eſt, q̃ maior quædam receſsio à naturali ſtatu,lib.de totius morbi temporib.c.6.ſcribit morbum,qui ſua natura magnus ſit ex vrinis oleaceis,fœdis,pinguibus,atque ex ſignis alijs lethalibus manifeſtari; at vrinæ tales inditia ſunt malignitatis;idem eſt igitur malignus morbus,qui magnus, & lib.4. de methodo medendi, c.6. ſcribit morbum fieri magnum vèl propter afflictæ partis præſtantiam,vel propter affectus magnitudinem, vel propterea quòd ille ſit cacoethes:quaſi morbus malignus ſpecies ſit quædã magni morbi; & quaſi morbus magnus ad malignum collatus nunc illius ſit commune genus; nunc vnà cum illo ſub eodem genere tanquã oppoſita ſpecies contineatur. ex his aliqua ab Argenterio deſumpta ſunt in lib.de morborum differen. c.7. Tertia, non bene malignitatis intelligentia ex Galeni libris quæſita eſt;quandoquidem is lubrice admodum,& incòſtanter malignitatis naturam tenuit,quod ſic demonſtrat Argenterius libro proxime citato,cap. 16. Gal.lib. 1.prorhetic.morbum malignum diffinit; qui quum periculũ vitæ minetur, ſpem tamen ſalutis non adimit,ſed meo quidẽ iudicio non bene: etenim magni morbi etiam periculum portendunt, vt magna febris,magna inflammatio,quæ omnino ſunt cũ periculo:ſpem tamen ſalutis,quantum in ſe eſt,non tollũt:

alibi verò malignos morbos appellat, qui omnibus rite, decenterq́ue factis non tamen sanantur; quo modo vlcera maligna 4. methodi vocat; vsurpat etiam malignum nonnunquam pro vehementi; vt quum 8. libro methodi ab inedia febres in biliosis corporibus malignas reddi scribit; pro eo quod est, vehementes, & acriores: cæterum libro primo de medicamẽ. per genera ad hunc modum scribit; Vlcera quæ ex humorum confluxu vel multorum, vel acrium oriuntur; sine eo, quòd locus affectus huiusmodi iam dispositionem habuerit; vt licet bonum sit, quod influit; tamen ipsum corrumpat; dysepulota nomino; quæ verò dictam dispositionẽ iam obtinent, præcipuo vocabulo cacoethe appello: contra verò initio libri quarti eiusdem operis his, quæ ob influentes humores cicatricem ægre admittunt, sine nomine relictis, ea pariter vocat dysepulotica, & cacoethe, quæ ob locum affectum humores ipsos corrũpentia cicatricem haudquaquam admittunt. Postea tamen, vbi de emplastris ad vlcera maligna ab Andromacho scriptis agit; admodum maligna vlcera vocari censet, quæ vel in parte male affecta consistunt, aut quæ ex prauo succo influente proueniunt, eroduntur que, tanquam hæc ab his differant, quæ difficile ad cicatricem perducuntur, quibus nihil sanè relinquitur, si vtrunque affectum ex parte laborante, & humoris confluentis prauitate, maligna vlcera sub se cõtinent. & paulo post subnectit idem Argenterius: qua ratione quæso maligna vlcera aliquando ex curatione, & euentu; aliquando verò ex causis, & dispositionibus diffiniemus? cur malignos affectus cum alijs confundit? cur aliter vlcera, quàm febres, aut aliud morbi genus maligna nuncupabimus? cũ eadem debeat esse diffinitio, vt idem est nomen, eademq́; natura; quatenus maligna esse censentur? Ad primam, in-

ueniun-

ueniuntur morbi aliqui maligni, qui ſunt etiam obſcuri, & inſidioſi, præſertim interni, vt malignæ febres: obſcuritatis cauſa eſt ſumma difficultas diſiungendi, & ſeparandi illud, quod eſt per ſe, ab eo quod eſt per accidens; & illud, quod conſueto, & communi curſu fit ab eo, quod præter morem contingit: in ijs præſertim rebus, quarum eſſentia in malo, & pernicie eſt tota; quoniam, vt Philoſophi docent, boni, recti, & pulchri ratio vna ſemper eſt; mali verò, immoderati, & turpis eſt varia, ac multiplex, non tamen morbi omnes maligni ſunt etiam obſcuri: non enim externa vlcera. Ad ſecundam Hippoc. lib. 2. de victus rat. in morbis acutis, ſectio. 51. ſcripſit: nam ſi quis vlcus acceperit non valde ἐπίκαιρον hoc eſt inſigne, neque valde εὐήθες, hoc eſt, bene moratum, aut ſimplex. in quem locum ſcribens Gal. liquet (inquit) quòd nihil referat dicere ἐπίκαιρον vlcus, ideſt inſigne; & μέγα, ideſt magnum, ſicuti neque μικρὸν, ideſt paruum; & εὐήθες, ideſt ſimplex, ac bene moratum; nempe ἐπίκαιρον propter loci naturam tale fit: magnum verò virtute pficitur, etiam ſi ſectione corporis paruum ſit, vel ipſa ſectionis magnitudine inſigne fiat: εὐήθες verò, ideſt vile, quod ſimplex, & paruum, vel propter loci naturam, quæ vilis & abiecta eſt, vel propter ſectionem paruam factam dicitur. Ex hoc Galeni loco, atque ex cap. illo ſexto libri quarti. de methodo medendi perſpicue deducitur; morbum magnum accipi non ſolum ſtricto, & proprio ſignificato pro illo, qui ſua eſſentia magnus eſt, ideſt qui latitudinis ſuæ mediocritatem egreditur, quod cognoſcitur ex proprijs ſymptomatis, v.g. ex calore, ex ſiti, ex iactatione, ex ſoluta continuitate, ex vigilijs, & id genus alijs ſupra modum auctis. ſed etiã latiſſima, & communiſſima ſignificatione pro morbo quocunque, qui modo aliquo ſit grauis; & ad vitam in diſcri-

men vocandam momenti plurimum habeat; quum malignitas à magnitudine tanquam res diuersa distinguebatur; non postremo hoc, sed priori illo modo magnum accipiebatur. Ad tertiam, Gale.lib. 1.prorheticorum sic est intelligendus. morbus malignus est, qui potest ex malignitate minari vitę periculum; cum tamen morbus qua morbus signa fortasse plurima habeat salutis, neque fieri potest, vt morbus vllus quantumuis magnus cum periculo sit; si quidem de se spem salutis non tollat; hoc est si quidem signa habeat salubritatis: vt enim manere duo hæc simul possunt in re vna præ se ferre salubritatem; & prę se ferre periculum? qđ Argenterius dicebat, diffiniri hic à Galeno malignum morbum à veritate est alienissimum. addo amplius Galenum hoc loco non de morbis malignis quibuscunq; orationem habere, sed de illis solum, quorum malignitas in facultatem vitæ rectricem, aut in partem vitæ omnino necessariam inuadere potest. Vlcera maligna, quæ sunt in extima carne, non possunt minari vitæ periculum; quoniam longissime absunt ab ijs, à quibus pendet animalis vita. quod adducebatur ex libro octauo de methodo medendi sic diluit Iulius Alexandrinus in Antargentericis. febres in biliosis corporibus ex inedia Galenum memini 8. metho. acerrimas, acutissimas, æstuantissimas reddi, dicere; malignas non satis memini; quod si tamen reperiatur; quid erit, in quo Galenum accusemus? an non quæso accedere febribus, & malitia aliquando, & vehementia potest? Illa, quæ Argenterius de vlcerum malignitate ex Galeno adducit nihil habent repugnantiæ cum ijs, quæ Galenus de malignitate alibi docuit. Certum est vlcus vocari malignum, quod deterius multo est, quàm communis vlcerum natura, & consuetudo ferat: causam necessarium est esse aduentitiam, quia si

eſſet vlceris propria, & naturalis; prauitatem eandem vl-
cera omnia haberent: in morbis internis malignitas accer-
ſit vitæ periculum neceſſario, quia illorum bonus exitus,
eſt ad citam ſalutem, malus exitus ad diſcrimen vitæ. In
vlceribus externis bonus morbi exitus eſt facilis ſanatio;
malus exitus eſt ſanatio difficilis: vtrobique tamen mali-
gnitas propriæ diffinitionis leges retinet exacte: diximus
enim malignitatem diffiniri qualitatem adſcititiam ad mor
bi exitum bonum, vel malum momenti plurimum haben-
tem; in morbo, vel morbi cauſis repertam. Vtatur Gal. pro
ſuo arbitratu varijs loquendi formulis; nihil id nobis in re-
cte iudicando faceſſere negotij debet; dum quod dicitur ad
examen, & cardinem diffinitionis valeat reduci. Vlceris
cauſa eſt humor acer, & corrodens; cui malignitas vt pluri-
mum accedit, ex ſordida partis affectæ putrilagine, quæ ef-
ficit, vt humores aliunde influentes morem bonum cum
prauo commutent; quam rem ita ſe habere vſu conſtat quo
tidiano. Id tamen minime debet obſtare, quominus hu-
mor vlcus faciens morem prauum acquiſiuerit interdum à
parte mittente; loco, qui laborat omnis prorſus (quantum
in ſe eſt) experte malignitatis.

De cauſis, & locis malignæ febris. Cap. II.



AVSAM, qui finis dicitur, non eſt quòd in
morbo vllo quæramus, quoniam certum eſt
illa, quæ ſunt præter naturam nullum in na-
tura finem continere: de forma igitur effi-
ciente, & materia agendum, quantum ſatis
eſt ad malignitatis naturam explicandam. Malignitatis for
ma in febribus nihil eſt aliud, quàm inſignior, fœdior, &
ſordi-

sordidior quædam putredo, sicut disertis verbis à Galeno scribitur lib. 3. in 3. de morb. uulg. commen. 1. & 23. primo in primum de morb. vulg. commen. 20. & 21. & alibi sæpe. idem Gal. lib. 3. in 3. de morb. vulg. commen. 57. li. de præsag. ex pul. cap. 1. lib. de cibis boni, & mali succi, cap. 4. & libro primo de differen. feb. c. 3. affirmat reperiri febres quasdam pestilentes sine peste; quod referri non potest ad aliud febrium genus, nisi malignarum: proindeque cum scribatur lib. 1. in 6. de morb. vulg. commen. 29. lib. 3. in 3. commen. 60. & 69. & alijs plerisque in locis pestem, & pestilentem febrem in praua quadam putredine consistere; censendum est malignam quoque febrem in improba putredine suam essentiam potitam habere. Accedit Galeni dictis ratio è philosophiæ fontibus petita: quidquid corrumpitur, à contrario corrumpitur; id patet inductione; quia nihil eorum, quæ ab omni contrarietate sunt longe posita, est interitus capax: quæ contraria sunt, sub eodem continentur genere; cum igitur illa, quæ humani corporis compagem faciunt, anima excepta, cui nihil est contrarium; elementaria sint omnia; dicendũ est ea quoque quibus humani corporis opificium labefactatur ad elementa, seu ad elementares qualitates pertinere: elementares qualitates, in quibus contrarietas cernitur; quatuor sunt calor, humidum, frigus, siccitas; his igitur solis, & alijs quæ hæc vel antecedũt, vel sequuntur, naturali quadam, & necessaria emanatione humana vita aut destruitur, aut conseruatur: cumque malignitatis proprium sit vim habere maximam, efficacissimã; & citissimam corrumpendi; ex quatuor qualitatibus illa maxime ad malignitatis essentiam pertinet, quæ valde actiua, & maxime efficax est; nempe aut calor, isque præter naturam (qui enim secundum naturam est, calor non destruit,

sed con-

ſed conſeruat humana corpora) aut frigus: in frigore locare febris malignitatem ridiculum eſt, quia frigus internum imminuit per ſe febrem; malignitas interna febrem ſemper auget, facitque deteriorem: pertinet igitur malignitas febrilis non ad frigus, ſed ad calorem. Calor præter naturam nunquam eſt ſolus; cum ſolito adauctior eſt redditus; adſciſcitque ſibi comitem neceſſario vel ſiccitatem, vel humiditatem præternaturalem febrilis malignitatis calorem non eſſe ſiccum, ſed humidum inde conſtat; quòd graſſatur maxime tempore humido, & auſtro vigente: quòd putridã vt plurimum excitat, non hecticam febrem; quòd originẽ habet ex plenitudine morboſa; & quòd concitatiſſimas in toto corpore turbas mouet; quales in tabe, & febre hectica, quorum calor ſiccus eſt, nunquã conſpiciuntur: at quid aliud ſunt calor, & humidum præter naturã niſi putredo? ac non ſufficere communem putredinem; ſed oportere illam eſſe ſolito prauiorem, vt morbum efficiat malignum; vel ex eo poteſt euadere manifeſtum; quòd ſicut malignitas morbum efficit multo grauiorem; ita putredo quo eſt magis ſordida; eo eſt etiam nocentior: Fernel. lib. 2. de abditis rerum cauſis c. 12. nititur argumentis monſtrare peſtilentium morborum cauſam eſſe occultam, & diuerſam maxime à putredine; quia non intelligit putredinis vim, quæ tamen eſt maxima. Romæ Gregorio XIII. Pontifice cũ plures vnus poſt alium in puteũ putris, & antiqui limi pleniſſimum deſcendiſſent; ſinguli momento extincti ſunt: ſuccenſis ignibus euanuit putris ex cœno halitus; eſtque reddita putei cauitas ſalubris, quæ antea mortifera fuerat; at quid fęx, lutum, cœnum eſt, cum fœtet, niſi putredo? Auernus lacus propè Baias expirationem de ſe emittebat fœdam adeo, vt aues illhac volantes perderet ſubito; cogeret-

que

que mortuas cadere: putri cœno ſublato, lacuque expurgato nihil tale ſunt amplius perpeſſæ. Pro Fernelio ſic diſſerit Thomas à Veiga commen. in cap. 4. libri primi de differen. febrium Galeni. Cum febris peſtilens diſtet à cæteris in eo, quòd plures perimat, & promptiſſime inficiat; referunt cauſam nonnulli ad mineram putredinis, quæ in peſtilenti eſt cor; alij ad prauitatem putredinis; alij ad putredinem cordis ipſius. Gal. hic frequentem occaſionem putat eſſe putredinem continentis; vel calorem eius multum cum praua qualitate humorum, ſed videtur certius cum Arabibus & Fernelio admittere pro cauſa qualitatem deleteriam, communicatam aeri à Cœlo. Prima ratio, multæ peſtes ſunt ſine febre; aliæ cum febre intermittente 3. epidemiæ 3. rurſus quædam peſtis febris eſt diaria, vt ſudor britannicus; alia hectica, in qua cor ipſum putret. 3. de præſagit. ex pulſib. 3. cauſa igitur interitus communis inuenienda eſt, non in minera cordis; non in putredine praua; nõ in putrido corde; alia igitur cauſa eſſe non poteſt, quàm deleteria qualitas modo in ſpiritu, modo in humore, modo in membro. Item ſi ſubeſſet putredo; putridum communicatum vrinæ neceſſario turbaret vrinam; & ſedimentum, & colorem; quod non apparet. Item calor eximius putridus valde mutaret pulſum; cum tamen multi remiſſiſſime febriant. 3. de præſagit. ex pulſ. citato, & lib. 10. ſimplicium 5. Item non ſequeretur ad illam putredinẽ tam citus interitus; (multi enim ferè repente occumbunt, niſi ad qualitatem deleteriam; vt in foſſis nuper apertis. Apparet item occulta qualitas; quia modo corripit peſtis hoc genus animalium, modo iſtud; & modo hos homines, modo illos: nec ſanarentur per exiccantia cordialia, niſi hac natura pollerent: humiditas enim exiccanda (quod Gale-

nus

nus ait) quandoque in alijs febribus præpollet; quoniam autem venenum eſt; idcirco etiam in corde reſidet, ſiue quia ſponte ſua venena inter mēbra cor petunt; ſicut quædam alia externa certa membra in corpore petunt, ſiue (qđ Fracaſtorius ait) quia fugientes ſpiritus venenum externū ad cor refugiunt; deferentes iam ſecum veneni ſeminariū, nec reijcienda videtur in pluribus peſtilentibus febribus cauſa, quòd putredo ſit in corde ipſo; quod in alijs febribus non euenit. hæc Veiga. quæ tamen concludunt nihil. eſto verum; peſtem reperiri interdum ſine febre; (quanquã id conſtanter negant Andreas Gallus, & Hieronymus Mercurialis; qua de re alibi) non tamen hinc fit peſtis eſſentiã non cōſiſtere in ſordidiſſima, & fœdiſſima putredine; quid enim prohibet (inquit doctiſſimus Præceptor Maſſarias) quominus communi aliqua de cauſa malitioſi quidam, & venenati humores aggregari, putreſcere, & corrumpi poſſint extra venas tantum; vnde homines varijs prorſus, & variarum partium morbis, abſque vlla febre laborent; & frequenter moriantur putridis halitibus, qui è putredinis foco ad cor efflantur, ante necem afferentibus, ſpiritusque extinguentibus quàm febrem ſuccendant? quàm cordis noxa reliquo corpori communicetur? quemadmodū ſunt determinata quædam venena, ſiue ab animalibus iaculata, ſiue exhibita; quæ tum alias partes, tum maxime cor petēdo, & corrumpendo ſine vllo febris interuentu necem velociter afferre ſolent: atque hæc reſponſio eo eſt probabilior contra Thomam à Veiga, quòd is cenſet ſæpe febrem non eſſe aliud, quàm motum validum, & vnionem innati caloris in corde, & foco ab impetu naturæ profectum, conantis humorem noxium vel coquere, vel pellere: ita vt ex illius opinione non ſufficiat humoris putrefactio ad febrē

inducendam; nisi pręterea naturæ conatus adsit: at non est necesse naturam in humores quosuis conatum suũ exercere; cum accidere possit illos esse fortes & efficaces adeo; vt inanis sit, & irritus quilibet naturæ in illos conatus. Deinde non bona est consecutio; datur pestis citra putrefactionem; ergo febris pestilens, & maligna non consistunt in putredine: sicut ratiocinatio esset non bona; sunt venena, quę extinguunt hominem paralysi, vel conuulsione inducta; non ergo dantur venena putrefacientia; corrodẽdoq; necantia fatemur quidem nos pestem omnem per manifestas qualitates agere; non tamen affirmamus qualitatem huiusmodi in calore, & putredine consistere; nisi cum adsunt caloris, & putredinis notæ. Reperiri pestes aliquas cum febre intermittente falsissimũ est; (tametsi id concedit Georgius Agricola vir alioqui doctissimus, neq; locus vllus est in toto Hippoc. & Gal. vnde hoc colligi possit. Ad secundã respondeo sordidam putredinem in spiritibus gignere diariam pestilentem; in humoribus pestilentem putridam; in cordis substantia hecticam pestilentem: omnium verò cõmunem causam esse prauissimam, & nocentissimam putredinem. Cur in ægrotis febre affectis maligna vel pestilenti vrinæ sæpe sint sanis persimiles; & cur in ijsdem pulsus non raro à naturalibus minime discrepent; dicetur sequenti capite. Quintum argumentum nihili omnino est; negamus enim putredinis non posse esse vim tantam, vt homines citissime interimat: qua de re disputabitur fuse in Arte Medica. Ad sextum respondeo sæuire pestem in hoc, vel illud animalium genus; prout uapores putres in aere reperti cũ humoribus huius, uel illius generis animalium analogiam habent: exemplo sint sues, & canes, quibus fœda stercora esca sunt suauissima, & iucundissima; quæ homines non

gustu

gustu solum, sed aspectu etiã & olfactu summopere abhorrent, & execrantur. quod postremo adducebatur, febrẽ aliquam inueniri, in qua putredinosa humiditas magis late dominatur, quàm in maligna, aut pestilenti febre; cum ueritate minime consentit: non enim excrementitia, non abũdans humiditas putredinis fœdæ propria est. sed illa, quæ est inepta, ut ab innato, & naturali calore contineatur: possunt febres aliæ materiam habere humidiorem; sed non magis refugientẽ à calore uitali. hoc enim putredinosæ tantũ humiditatis propriũ est; neque uerò excessus humiditatis absolute, & simpliciter humanæ uitæ est nocentissimus; sicut excessus uel frigoris, uel siccitatis: cum hominis uita in calore & humore posita præcipue sit: sed cum hac conditione; ut à calore naturali non satis ualeat regi. quid humidius hydrope ascite? eam tamen humiditatem regi à calido innato inde colligo; quòd si æger sitim perferat patientissime; uictuque utatur exiccante; facile liberatur; natura ipsa superfluum illum, & copiosum humorem temporis tractu uincente, & absumente. Scaliger exercit. 14. de subtilitate ad Gardanum quòd (inquit) armenicam terram comparas cum lapillis; aisque carbunculum, smaragdũ, sapphirum, hyacintum, margaritas propterea pestilentiæ aduersari, quia desiccant; non placet: multa enim desiccant uehementius; quæ cum inepta, tum inutilia sunt, ut pumex; nẽpe desiccationibus haud tollitur è corpore pestilẽtia: quid? pestẽ non nisi ab humiditate fieri quis dixerit? at fieret; si desiccationibus auferretur: aufertur autẽ ijs, quæ suapte natura venenis resistunt. quibus uerbis apparet illum sentire idẽ, quod Fernelium: ad argumentum de pumice & similibus desumptum respondebitur in secũdo libro; ubi de exiccantibus proprium caput instituetur. atque hæc de forma-

li causa malignitatis. utra uero qualitate malignitas infensior est humanæ uitę calore, an humore? putredinis calor magis urget ęgrum, quàm illius humiditas: à calore enim depopulatio, & extinctio est innati calidi. Arist. putredo est (inquit) interitus proprij, & naturalis in quouis humido caloris ab aduentitio calore profectus, scilicet ambientis: & à calore utpote qualitate admodum actiua sęuiora omnia malignitatis symptomata nascuntur. Humidum duplici nomine nocens est; & quia putredinis fomes, ac subiectũ est; proindeq; eius deuictio pręcautio est à putredine: & quia quatenus naturale est ab exhausto per putredinem calore natiuo derelictum obruit sui copia calorem reliquum, quẽ ferocitas putredinis nondum extinxit; putredinosa igitur humiditas per accidens; putredinosus calor per se in arcem ipsam vitæ inuadit; nempe in calorem innatum, cuius animantia sunt maxime indiga, vt in vita seruentur. contra id duæ sunt obiectiones. Prima, Gal. lib. 9. de simplic. medic. facultatib. in cap. de terra samia versus finẽ; bibitur (inquit) lapis armenius ex vino albo consistentia tenui, modice diluto; si aut planè febri careat; aut leuiter ea teneatur: sin grauius febriat; admodum aqueo: non tamen calore vehemẽtes sunt febres pestilentiales. Secunda, scripsimus sordidæ, & malignæ putredinis essentiam non consistere necessario in multo putredinoso calore; sed in extinctione vel imminutione naturalis caloris; seu præsens sit, seu abierit magna ex parte à re putrida ambientis calor. Naturalis malignæ febris cursus hic est: initio ambientis, hoc est excremẽtorum, & retentarum fuliginum calor inuadit in humores; ab illisque proprium calorem paulatim euocat, illius vice putredine inducta, & febre genita: quæ res modis plurimis contingit; prout multi sunt gradus, per quos res putrescens discur-

diſcurrit, antequam conſummatam putredinem concipiat. ſordida putredo tum demum fit; cum ijdem humores magna ex parte naturalem calorem ex toto amiſerunt; fugato ab humoribus ſordide putridis naturali calore multa mala conſequuntur; ſeu ceſſauerit ex parte in humoribus putrefactis prior ille ambientis calor, qui febris fuit origo, ſeu vigeat etiamnum; putredo ſerpit in humores alios citiſſime; ambientis & putredinoſus calor nouas ſedes occupat; natura neque humores iam inutiles & nocuos factos regere; neque præternaturali, & ambientis calori ſatis reſiſtere; neq; ſolitum ab humoribus, qui computruere, exigere penſum poteſt: ſæpeque accidit, vt innato calido, in quo naturæ robur conſiſtit, vel copia inutilium humorum obruto; vel alimonia, quam ab humoribus accipiebat; priuato, vel ingenti præter naturam calore ſuffocato, vel naturalibus inſtrumentis, (idoneis nempe humoribus, & ſpiritibus) quibus ſe, & corpus totum regebat; amiſſis, interitus & mors animãtis ſubſequatur: humores igitur ſordide putres nõ ideo nocent maxime, quia multus in illis præter naturam calor actu vigeat; ſed quia ex empyteumate relicto per præcedentem ex putredine accenſionem, calidi ſunt virtute & energia ſupra modũ: quæ virtus cauſa eſt, vt nouæ ſubinde corruptelæ, & putreſcentiæ excitentur; vtque actuoſus ambiẽtis, & præter naturalis calor, quamuis in ijs factus ſit remiſſior; in alijs tamen humoribus, quos deinde aggreditur, intenſior ſemper, & æſtuoſior reddatur; aptiorque ad omnia corrumpenda, & depaſcenda. ea virtus inæqualis eſt admodũ in putridis, malignis, & peſtilentibus febribus; quia empyteuma quod ex putredine relinquitur in humoribus; latitudinem habet maximam. amplius dico: ſordida, & maligna putredo antequam toti maſſæ humorum communicetur;

tur; actu & seipsa parum naturæ nocet: virtute,& per effectus,quos edit; illi est infensissima,& nocentissima. Galeni locum sic interpretor;febres pestilentiales, quatenus pestilentiales actuali calore non sunt vehementes;quanquã (vt dixi)calore energiaco sunt vehementissimæ.subdidi [quatenus pestilentiales] quia præter malignitatis & pestilentię naturam est;vt viscera magna aliqua laborent inflammatione;quæ calore toto cucurbitularũ instar ad se attracto , extremas partes frigescere faciat. adimere Galenum febribus pestilentialibus vehementem calorem actu ; non solum ad extimas,sed etiam ad intimas partes colligitur ex orationis fine;qui est, ægroto pestilentiali febre laboranti lapidem armenium præbere ex vino:quod certum est in viscerum inflammationibus nocẽtissimum esse. hinc ratio redditur,cur maxima pars illorum,qui maligne febricitant non sentiant satis se febricitare;quia scilicet occulta est , & ferè imperceptibilis illorum vis;quæ energia plurimum; actu perparum valent . Efficiens causa malignitatis sunt quæcunque putredinem,& obstructionem putredinis parentem aut facere,aut augere vel foris,vel intus possunt; de quibus plenissime Galenus , & alij non vno in loco . Ad materiam malignitatis quod attinet;illa duplex est; continens,& subiectiua:malignitatis materia continens pars quęlibet nostri corporis esse potest ; quod enim membrum,aut membri particula in tuto est adeò; vt maligno vlcere non valeat corripi, si sors ita tulerit? in febre tamen maligna necessarium est putres humores in venis contineri : tum quia febris huiusmodi est etiam continua : tum quia putredo citissime hominem enecans ibi vt plurimum est;vnde ad principes partes iter est expeditissimum;imo locus malignarum febrium semper ferè vasa ipsa sunt principum partium.Gal.lib. 2.in

3. de

3.de morb. vulg. in præfatione qui (inquit) simpliciter febres ex hypochondrijs esse malignas confirmat,conuenientibus neglectis distinctionib. quas in præsagijs scripsit Hippoc.mentitur aperte,quippe lõge erat verius dicere,febres à cerebro affecto malignę sunt;febres à membranis,quæ cerebrum continent,affectis malignæ; febres à pulmone affecto malignæ;iam præ his etiam febres à corde affecto malignæ;aut febres, quæ ab hypochondrijs proficiscuntur (si propriæ vocabulum hypochondriorum accipiamus) omnium febrium acutarum sunt mitissimæ; sin minus proprie & hac voce etiam ventrem complectamur,iecur,lienem,& septum transuersum;quædam malignæ;quædam etiam mites sunt: vt in libris determinauimus de locis affectis.hactenus Gal. subiectiuæ malignitatis materiæ appellatione illa nostri corporis intelligo,quæ apta sunt maligne putrere;& fœdissime corrumpi;corruptaque virus suum ad principes partes transfundunt;vnde mortis periculum,aut etiã mors ipsa.concipi malignam putredinem posse à substantia cordis immediate,nullis antea humoribus læsis constat ex Gale.lib.3.de præsag.ex pulsib.cap.4.vbi ita scribitur.etenim sunt,vt docuimus,pestilentes non paucæ inde vsque ab initio hecticæ: distantque ab omnibus alijs febribus, quæ ex magna putredine oriuntur. Montanus dicebat,omnes febres malignas,& pestilentes esse hecticas;ob idque non sentire ægrotantes se febricitare,quod egregie refellitur à Fracastorio lib.2.de contag.cap.3.num detur ephemera maligna per quam spiritus citra humorum corruptelam maligne putrent,magna quæstio est. Fracastorius lib. cit. c.5. concedit manifeste ita scribens;In Britãnia insula quæ nũc Anglia vocatur,genus est pestilentis febris,& contagiosæ, quæ ad ephemeras referenda videtur,quòd die vna aut ho

minem

minem perdit, aut liberat. explicatius Thomas Rodericus à Veiga commen. in c. 5. lib. 1. de differen. feb. ſcribit, febrē hanc fieri ſpiritibus putredine occupatis. Ego non poſſum negare ſpiritus putrere poſſe æque, ac humores; quòd ſicut Ariſto. ſcribit lib. 3. meteorologic. cuncta igne vno excepto putredinem concipere apta ſunt, neque eſt, quòd contendant pertinaces ob id ſpiritum non putrere, quia naturę eſt igneæ; quia longe differunt hæc duo; ignis & igneam naturam habentia: item ſpiritus eſt craſſior aere, vt mōſtrat Galenus libello quòd ſanguis in arterijs ſecundum naturā cōtineatur; & ex aere inſpirato fit; vt oſtendit idem Galenus libellis de vtilitate reſpirationis, & de vſu pulſus: at aeris ſubſtantia non eſt à putredine immunis teſte Ariſto. loco per me proxime citato; cur igitur ſpiritus putreſcere non poſſit & ipſe? Valeſius lib. 5. controuer. cap. 19. ſcribit ſpiritus, qui putreſcunt, aut cito effluere; aut putredinem in humores transfundere, aut emendari facile; ob idque non facere diariam, quæ citra humorum corruptelam ſit per ſe putrida. Vt vt ſe res habeat de febre; certum eſt ſpiritus corrumpi, & putrefieri poſſe non in febre tantum, quæ ſit maligna vnius diei; ſed etiam in febre maligna humorali; quoniam in hac ſæpiſſime, & magno cum adiuuamento odoramenta cordialia Medici adhibent; quorum vis ſpirituum tantum ſubſtantiam attingit. De humoribus facile eſt reſpondere ex illis quemlibet cum putrere, tum maligne putrere poſſe. quæ enim ratio ſit, cur putredo vbi vbi reperiatur; non poſſit intenſior, & nocentior fieri? promptius tamen ad malignitatem vergunt humores illi putres; quorum ſubſtantia tum facile incaleſcere propter inflammabilitatem, vel ex præterita aduſtione, vel ex pinguedine contractam; tū diutius calorem impreſſum retinere ob craſſitiem poteſt: exēplo

plo ſint cancer,& elephantiaſis;qui morbi cum ſint ex atra bile humore admodum craſſo,&aduſto in malignitatem facile deſinunt;eamq̃ue medicamentis omnibus contumaciſſimam. Hinc Gal.lib.2.in primum de morb.vulg.comm. 25.generantur (inquit) malignæ febres non ex ſucco vno, ſed pluribus; quorum calidior febrem acutam ſuccendit; ſtatimq̃ue diſcutitur;quæ dum corpus tenet;contingit frigidioribus corrumpi,ac putreſcere: ibidemq̃ue, & commen. 30. eiuſdem operis malignis febribus adcēſet tertianas cõtinuas non ſinceras;quòd ſcilicet bilis pituitæ pinguedinē, ſeu inflammabilitatem; pituita bili craſſitiem tribuat. & 3. in 3.de morb.vulg.commen.9. & 12. ſcribit humorem bilioſum eſſe,appellariq̃ue malignum;cum erodit,& putrefacit:at certum eſt humorem bilioſum neque erodere,neque putrefacere; niſi cum vltra naturalem conſtitutionem craſſior eſt, & aduſtior: hinc ſymptomata illa malignarum febrium apud Hippocratem in lib.de morb.vulg. mixtim ptinentia ad pituitoſum,& bilioſum humorem. Franciſcus Valeſius cur noſtra ætate doctiſſimus de malignis febribus orationem habens lib.7. epidemiorum commen.78. tales (inquit) febres pendent ex malignis, & multis, atque adeò craſſis;hæcque eſt maxima difficilis curationis cauſa; quia enim maligna ſunt,vrgent:quia multa, & craſſa longo tempore indigent;vt ſoluãtur.his accedit ratio. febris maligna ſymptomata infert ſeueriora quàm pro ratione affectus cõueniant:probabile eſt igitur illam fieri ex materia inæquali; hoc eſt, vel ex vno humore varie ſecũdum varias partes conſtituto,vel ex humore duplici, v.g.ex pituitoſo,& bilioſo.nam bilis,quantum in ſe eſt ſymptomata inducit acutiſſima;pituita retundit bilis impetum; velatq̃ue vt ſic dicam, audacem illius faciem:Hinc morbi,qui ex bile ſunt craſſio-

ri reddita propter aduſtionem, non propter alterius humo ris permixtionem non ſunt maligni; ſed primo ſtatim impetu acutiſſimi, & vehementiſſimi. Rationi atteſtatur experimentum; quoniam febre maligna qui laborant, carnes habent ad primum contactum non acriter, ſed leuiter calẽtes; quas tamen ſi diutius contingere perſeueres, candentis ferri ſimillimas credas; quod certum eſt ex pituita putri fieri, vel ex atra bile: ſi Galeno credimus lib. 1. in 6. de morb. vulg. commen. 29. & lib. 2. de criſib. cap. 3. li. 4. aphoriſmo 43. ſcribitur febres, quæ altero die ingraueſcunt, eſſe periculoſas: quod maxime conſentit cum ijs, quæ ſcribuntur libro primo de morb. vulg. ſect. 2. textu 25. cõtinuæ (inquit Hippoc.) febres omnino nunquam intermittebantur; ſed inuadebant omnes more febris naturam tertianæ referentis; & vno die aliquantum remittebantur, altero ingraueſcebant. omnium erant, quæ in id tempus inciderũt, violentiſſimæ, longiſſimæ, laborioſiſſimęque: lenes à primo; de cætero in totum ſemper increſcebant: ac decretorijs diebus accedebant, ac peiores inuadebant: aliquantum remittebantur; citoque rurſus ex intermiſſione violentius inceſſebant: diebusque decretorijs multo deteriores reddebantur; rigores autem omnibus inordinate, & erratice fiebant; ac pauciſſimi his, minimique: in alijs vero febribus maiores. hactenus Hippoc. ex cuius dictis ita ratiocinor; febres aliquæ malignæ non ſunt tertianæ continuæ exquiſitæ; exacerbationes tamen habent tertianarum modo; ſunt igitur tertianæ continuæ ſpuriæ; fiuntque proinde ex pituita bili permixta, vtroque humore putreſcente maligne. dicet fortaſſe aliquis in febre maligna non pituitam permiſceri bili, ſed bilem atram; quæ ſui natura humor eſt maxime malignus, & ſæuus; hincque fieri, vt ea ſit quidem tertiana, ſed

non

non exquisita: suspicionem augere potest tum affinitas, quę maior est inter flauam, & atram bilem; quàm inter bilem, & pituitam; tum natura humoris melancholici cuiuscũque; vt non facile cedat medicamentis; sed ab illis irritetur, potius, & furentior fiat; nisi fuerit probè concoctus; quod rarò admodum, & sero accidit: his accedit experimentũ; plurimi enim in febres incidunt malignas ex multo mœrore, & tristitia; quæ est animi perturbatio melancholicum humorem valde promouens: ac ne dubites de tertiana spuria ex atra bile Gal. lib. 2. de differen. feb. c. 8. per hæc (inquit) quæ de biliosa, & pituitosa febre simul commistis conscripsimus, licet ad melancholicam febrem transferendo, eius cum vtraque illarum complexionem, ac confusionem pariter coniectari: voco autem complexionem; quando horis differentibus inuaserunt; confusionem verò, quando eodẽ tempore incœperint. ex his Galeni verbis perspicuũ est posse vno, & eodem tempore diuersis focis corripi ægrotũ bile, & humore melancholico putridis: at quid impedit, quominus quæ diuersis focis continentur, eodem quoque foco contineantur? Arabes item tertianam spuriam diuidunt in eam; quæ est maioris famæ constans flaua bile vincente & pituita pauciore; & in eam, quæ est minoris famæ constans ex flaua bile prædominante, & ex atra bile. Amplius, concedunt omnes dari quartanam spuriam ex permixtione bilis flauæ cum atra; quæ igitur ratio sit; vt non detur tertiana spuria ex permixtione atræ bilis cum flaua? continentur vnà humores omnes in venis; atque illorum quilibet putredini obnoxius est: num vero corruptio efficiet; vt quæ manebant simul integra; putria non maneant simul? num inter bilem flauam, & atram seu integras, seu putres factas nõ est facillimus transitus? sæpissime accidit Hippoc. & Gale-

no testibus; vt ijs, qui tertianam notham diutius perpetiun tur; lien intumescat; quæ res vsu quoq; quotidiano est cõ-pertissima; at fieri nequit, liene intumescente quin melancholicus humor præter modum succrescat: neque alia ratio est, cur Galenus vbi vbi de tertiana continua spuria; hoc est tertianæ naturam referente disseruit libro primo ad Glauc. cap. 8. & 10. lib. 2. in primum de morb. vulg. commen. 25. tertio in eundem commen. 5. lib. 2. in 6. commen. 23. lib. 2. de crisib. c. 3. & alijs locis plurimis alterius humoris cum bile permisti non meminerit quàm pituitæ; nisi quia sæpius fit hæc febris ex permistione bilis flauæ cum pituita, quàm cum atra bile: causæ multæ sunt; pituitæ plus gignitur in humano corpore, quàm humoris melancholici: natura minus est sollicita de expurgando sanguine à pituita quàm à bile seu flaua, seu atra; cum illi nullũ, vt his peculiare, & proprium receptaculum dederit: Membra omnia subijciuntur capiti, e quo pituitæ plurimum defluit: & pituitę natura aptior est ob humiditatem, & mollitiem vt cum flaua bile cõfundatur, & intime permisceatur, quàm atra bilis, quæ naturam habet siccam, & inepte mobilem. num vero febris genita ex permixtione bilis flauæ cum atra malignior est, q̃ quæ fit ex admistione bilis cum pituita? Altimarus in opere de medendis febrib. parte 3. c. 4. de tertiana notha intermittente sermonem habens minus (inquit) formidanda est, ac citius quoque soluitur ea, quæ ex atrę bilis permixtione generatur, quàm quæ ex pituitæ; in cæteris paritate seruata: quæ dicta videntur transferri posse ad eas quoq; febres, quæ continuæ sunt: qui vir alioqui doctissimus grauissime fallitur: quoniam vt docet Gal. lib. 2. de differ. feb. cap. 9. & mille alijs in locis humor quilibet seu per putrefactionem, seu per assationẽ, seu aliter ex alio factus eo est mitior, quo

factus est ex mitiore;& eo est deterior;quo factus est ex deteriore: neque alio argumento Gal.libello de atra bile, & 6.aphorismorum 53.probauit bilem atram ex assatione flauę bilis genitam esse nocentiorem atra bile,quę fit ex assato humore melancholico;nisi quia bilis flaua naturalis minus mitis est sui natura quàm humor melancholicus: qua de re fusissime Manardus lib.9. epist.2. & Franciscus Valesius libro primo controuer.cap.21.& lib.5. cap.22. at quis dubitet pituitam humore melancholico esse magis mitem, & minus repugnantem humanę naturæ; siquidem vterque naturaliter accipiatur: neque est,quòd quis obijciat nobis Hippocratem scribentem libro primo epid.sect.3.textu 4. omnium febrium quartanam esse securissimam, facillimã, & longissimam;ratio enim illius sententię est,vt Galenus in commen.docet protractio longior temporis, quod ab vno paroxismo ad alterum excurrit; non humorum, ex quibus febres fiunt,natura:quod subdit Altimarus de eadem febre citius solui,quàm quę fit ex permixtione bilis cum pituita; non minus falsum esse comperies si consideraueris humorẽ melancholicum esse sui natura contumaciorem,rebelliorẽ, concoctuque difficiliorem quàm sit pituita.vis cognoscere vtra febris grauior sit,& diuturnior? inspice tumores externos; illos, qui ex pituita; & illos,qui ex atra bile,vel ex humore melancholico fiunt;hi enim quàm illi grauiores sunt multo in malignitatem sępe desinentes;atque etiam diuturniores.de sanguine,quatenus ad malignas febres pertinere possit; & de genere exacte ad quod maligna febris reducitur;sequenti cap.disputatio suscipietur. quod scripsi malignam febrem posse fieri ex humore vno varie secundũ varias partes constituto; ita accipiendum est; vt referatur interdum ad partes quantas.interdum vero ad partes quales.

etenim

etenim eadem humoris pars ſecundum quantitatem accepta poteſt qualitate, & vi actuoſa ægrotum torquere benigne; & humaniter; qualitate vero energiaca;& latente trucia ſymptomata inducere.

Ad quod genus febrium reducatur maligna febris. Cap. III.



EXPLICATVM eſt hactenus quid ſit morbus malignus & febris maligna: demonſtratumque fuit à quibus cauſis febris malignitas proficiſcatur: declarandum nunc ſupereſt ad quod febrium genus maligna febris referatur; ac præterea exponenda ſunt attributa quædam; de quibus docti Medici valde ambigunt; num,& quatenus febris malignitatem conſequantur. hæc vero tria ſunt præcipue eſſe contagioſam; propè accedere ad peſtiferam febrem;& eſſe morbum epidemicum. atque à prima quæſtione exorſi dicimus non vnam omnium Medicorum de ea opinionẽ fuiſſe. Hieronymus Donzellinus in lib. de natura, cauſſis,& legitima curatione febris peſtilentis docet febres peſtilẽtes eſſe continentes; taleſque ab omnibus iudicari; quod ita oſtendit, auctore Galeno lib. 9. methodi cap. 11. ſynochus eſt febris, quæ omni mutatione magna vſque ad iudicium caret; peſtichiæ autem tales eſſe deprehenduntur: ergo &c. quibus verbis apparet illum nomine febris peſtilentis non illam ſolum intelligere, quæ verè, & proprie peſtilens eſt; ſed etiam malignam: quoniam peſtichiæ, ſeu peticulæ malignæ potius, quàm peſtilẽtis febris indicia,& germina exiſtunt. Errat vero toto (vt aiunt) cœlo Donzellinus; quia

nihil

nihil vidit; qui in febribus malignis particulares, & recurrentes exacerbationes non vidit. neque recta est illatio: peticulæ omni mutatione magna vsque ad iudicium carent; ergo febris maligna, quæ est cum peticulis omni mutatione magna vsque ad iudicium caret: idem tamen quod Dõzellinus videtur sensisse Hieremias Thriuerius dum commen. in aphor. 17. lib. 1. scribit febrem pestilentem non vt alias putridas, vel ex cacochymia, vel ex plenitudine, sed ex sola sanguinis corruptela ortum ducere: quem dicendi modum alijs quoque recentioribus Medicis in more esse videas: quos constat omnes turpissime errare: nam quanquam verissimum est, sicut ex efferuescente sanguine synochus fit non putris, quæ inter diarias connumeratur; ita ex sanguine putrescente fieri synochum putrem; vtroque febris genere species etiam easdem recipiente, homotonon scilicet, ecpacmasticam, & paracmasticam docente hæc omnia Galeno tum plerisq; in locis; tum maxime lib. 9. de methodo medendi cap. 2. & 3. tamẽ certum est synochum putrem ex sanguine fieri putrescente potius, hoc est ad putredinem eunte; quam facto iam putri: quoniam sanguis quando computruit, sanguinis formam habere desinit; bilis vel flauæ, vel atræ naturam induit; febrem efficit non amplius synochum, hoc est sanguineam; sed vel biliosam, vel melancholicam; typumq; seruat non vnum ex illis tribus; hoc est vel homotonum, vel ecpacmasticum, vel paracmasticũ; sed tertianarium, vel quartanarium: apparet hæc esse vera ex Galeno; qui lib. 2. de crisib. cap. 12. docet febres omnes putridas esse necessario vel biliosas, vel pituitosas, vel melancholicas: subditq; deinde. [liquet autem quòd cum sanguis putrescere cœperit; non amplius bonus remanet; sed iam ad amaræ bilis naturam transit; atque in hoc illud seruatur;

uatur; triplex esse genus vniuersum simplicium febrium: quæ enim ex sanguine putrescente fit, iam quodammodo biliosa est; si sane in naturalibus sermonibus recte ostẽsum est; quòd sanguis ex moderato calore generatur; flaua autẽ bilis ex maiori; atra vero ex sufficienter immodico: quidquid igitur pingue, & tenue in sanguine est, fit flaua bilis; crassum vero, ac veluti fex, quando immodice calefactum exaruerit, atra.] hæc Gal. qui cap. 9. lib. 2. de diff. febriũ hãc eandẽ sententiam ijsdem ferè verbis repetit: inaniter igitur Thriuerius, & Donzellinus ex sanguinis corruptela febrẽ continentẽ fieri dicunt à tribus illis primis putridarum febrium generibus, quę sunt biliosa, pituitosa, & melancholica; distinctum: qui in eo quoque hallucinantur non parum; quòd malignam, & alijs putridis deteriorem faciunt illam febrem; quæ reuera mitior, suauior, & minus periculosa est, quàm aliæ putridæ febres. Gal. enim non semel, sed millies libello præsertim de atra bile; lib. 2. prognostic. 46. & libro 3. de causis symptomatum cap. 2. scripsit humorẽ ex alio humore factum eo mitiorem esse; quo is humor, ex quo est factus, natura est mitior; & eo esse deteriorem, quo is natura sua est deterior; at constat sanguinem esse humorẽ mitissimum omnium, qui sunt in humano corpore; bilis ergo seu flaua, seu atra, quæ facta est ex sanguinis corruptela; humores sunt benigniores quàm si ex seipsis putrefactis, & corruptis originem ducerent: tritum enim, & receptum apud Medicos est; reliquos tres humores, cum computrue re; genus minime mutare; sicut mutat sanguis putrefactus: non igitur maligna pestilens, & deterrima febris ex sanguine corrupto esse potest; sed ex humore alio fit necessario, qui sit sanguine longe perniciosior. Hinc Gal. cap. illo 9. lib. 2. de diff. febr. pro varietate (inquit) humorum, in quos

conuer-

conuertitur ſanguis, febres fient, ſola malignitate, & non malignitate differentes; illæ ſiquidem, quæ ſanguinis tranſmutationem conſequuntur, ſunt ſimpliciores tum in reliquis, tum in caliditatis qualitate mitiori: nam etſi plurima manui ſe tangenti offert; eſt tamen omnino mitis; ſicuti ea, quæ in balneo contrahitur. hæc Gal. obijciat aliquis videri Galenum lib. 2. de criſib. cap. 6. cenſere ſynochum cum putredine, quæ eſt ex ſanguine, eſſe acutiorem, quàm febrem ardentem ex bile; dum ita ſcribit. [cum vero neque declinatio aliqua, quæ ſentiri poſſit, fiat; ſemper vero à primo principio ad criſim ſimilis perſeueret; generis quidem eſt, & hæc febrium deurentium; ab ijſdem vero acutie differt] quæ poſtrema verba ita interpretatur Franciſcus Valeriola lib. 2. enarratione 2. quaſi dicere voluerit Gal. febrem ſynochum, quæ eſt, ex ſanguine eſſe acutiorem, & acerbiorẽ deurentibus, hoc eſt ardentibus febribus; quæ ſunt ex bile. Valeſius lib. 5. controu. cap. 22. Valeriolam coarguit; contenditque hunc eſſe germanum ſenſum verborum Gal. ſynochum differre acutie à febribus ardentibus ex bile; hoc eſt, ſynochum eſſe febrem minus acutam, quàm febres ardentes ex bile; ſeu quàm tertianas continuas; quod idem eſt: cœterum locus eſt apud Galenum lib. 2. in 2. de morb. vulg. commen. 7. qui videtur manifeſte monſtrare Valeriolam quàm Valeſium ſincerius, & melius mentem Gal. fuiſſe aſſecutum. is verò ita habet: Vocat Hippoc. febrim continuam eam, quæ non peruenit ad integritatem; priuſquàm perfecte ſoluatur; & ſi aliqua ſenſibilis appareat declinatio: cum vero neque aliqua ſenſibilis fiat declinatio; ſed ſemper à primo principio vſque ad iudicationem ſimilis perſeuerat; erit de genere febrium ardentium; ab illis tamẽ differt acumine; eſt enim & bilioſa, & deurens, & peracuta: earum

E autem

autem differentias,& nomina habes in nostris libris, quos & de febribus,& de crisibus conscripsimus. hæc Gal. misso igitur Valesio, qui non bene veritatem tuetur; missoque multo magis Valeriola, cuius sententia à veritate penitus abhorret;dicendum est tertianam continuam tempore exacerbationis, & status in quocunque paroxismo esse longe acutiorem; quàm sit vllo tempore synochus cum putredine hoc tamen tempore excepto; reliquis morbi temporibus,quæ sunt longiora;& multo plura; videri acutiorem synochum cum putredine,(per accidens tamen) quàm continuam tertianam.ratio est hæc: tertiana continua singulis paroxismis remissionem sensibilem habet:synochus cũ putredine nũquam remittitur sensibiliter; nisi cum desinit ad omnimodam infebricitationem: tertiana item continua principij,augmenti, status, & declinationis diuersa, & distincta tempora habet;in quibus non æqualiter sæuit:à synochus cum putredine eandem ferè toto cursu sæuitiam, & ferocitatem ostendit: quam enim Gal. nonnullis synochis increscentiam,aut decrescentiam tribuit;ea est admodum exigua;& status,aut declinationis nomi neminime digna.differunt hæ duæ acuties admodum; illa inquam,quæ est ratione morbi exacerbati;& illa quæ est ob constantem febris tenorem:hæc enim non est à materia febremfaciente;sed ab amplitudine vasorum, in quibus illa continetur, & interdum à multitudine etiam materiæ putris;at prior illa acuties ab improba putredine est tota; seu multus, seu paucus ille sit:ob id addidimus per accidens, & non per se videri synochum cum putredine acutiorem febribus ardentibus ex bile. res adhuc paucioribus explicari potest. tertiana continua est acutior intensione; synochus cum putredine est acutior diuturnitate,& morosa pertinacia.secunda

opinio

opinio eſt illorum, qui febrem malignam dicunt eſſe ſynochum: fieriq́ue ex tota ſanguinis maſſa putreſcente; ita vt non ſanguis ſolus, ſed humores etiam reliqui putredine cõcepta febrem malignam faciant: qui duplici nomine errorem committunt: primum quòd febrem eiuſmodi ſynochũ faciunt ſimplicem; quæ tamen febris ſimplex non eſt, ſed cõpoſita: quia ſicut ſanguis facit per ſe ſynochum; ita bilis facit per ſe tertianam; pituita quotidianam; & humor melancholicus quartanam: proindeq́ue febris continua ex tota ſanguinis maſſa æqualiter putreſcente facta non ſolum ſynochus eſt, ſed etiam tertiana, quotidiana, & quartana continuæ: deinde quòd non animaduertunt, ſe inuitos in illorum ſententiam labi, qui febres malignas faciunt tertianas continuas non ſinceras: impoſſibile enim cum ſit, quatuor humores, qui putreſcunt in ſanguinaria maſſa ęquali copia omnes, facultateq́ue vigere; neceſſarium eſt vnum ex ijs aliquem prędominari; à quo febris denominatio fiat: at quẽ magis veriſimile ſit prædominari, quàm bilem; cum in hãc ſanguis vertatur, cum putreſcit; vt mox repetetur; ſanguinisq́ue, & bilis flauæ ſimul maior ſit in venis copia; quàm aut vnius pituitæ, aut vnius humoris melancholici? Tertia opinio eſt Gulielmi Rondeletij in lib. de curandis febrib. cap. de febre peſtilentiali; ſicut cauſus quidam eſt ex flaua bile; & alius ex pituita ſalſa; ita cauſum quendam eſſe ex atra bile putreſcẽte; ac nihil eſſe aliud febrem peſtilentem; niſi tertiam hanc cauſi ſpeciem: quæ opinio duo comprehendit: primum eſt, febrem peſtilentẽ eſſe ſpeciem ardentis febris: ſecundum eſt manare illam ex vitio, & corruptela melancholici humoris. primum illud probat ex ſiti inexhauſta; ex incendio maximo circa cor; & ex anhelitu difficili. ſecundũ ex delirio cum mania proxime accedente ad furorem; ex

affinitate cum quartana continua; ex carbunculis, quos cō stat omnium consensu Medicorū generari à sanguine crasso, adusto, & efferuescente; ex peticulis, quæ colorem puniceum, atrum, vel ex rubro saturum referunt; ex ijs denique quæ aut pestis causa præcedens sunt, vt congressus Saturni cum alijs planetis; & alimenta crassa melancholici succi plurimum gignentia; aut pestem comitari solent, vt animi mœrores, anxietates, pauores &c. vtitur vero Rōdeletius hac similitudine; quemadmodum Sole in syrio existente vina turbari in dolijs obseruamus; fęce nimirum, & residētia ab ambientis ardoribus è sentina quasi ad superficiem extracta; vnde vinorum sequitur confusanea miscella: ita melancholia fęx sanguinis sedibus proprijs excita vniuersum turbat sanguinem; ad putredinem, & venenositatem disponit agitatione quadam sanguini introducta &c. De pestis, & pestilentis febris essentia mihi statutum est nullam in præsentia disputationem instituere: quòd si Rondeletius pestilentis febris appellatione malignam quoque comprehendat; multa sunt; quibus facile suadeor illius opinionem vtraque sui parte falsam, & à vero alienam esse. Non est febris maligna causi species; quia in febre ardente tum interna, tum externa vruntur; in maligna vruntur interna tantum; neque id semper; externa vero tepor potius, quàm ardor occupat: item sitis inexhausta cum siccitate, & scissura labiorum nunquam abest à causo; at febris maligna sæpissime nullam sitim habet adiunctam. Gal. 3. in 3. de mor. vul. commen. 34. non appellabitur (inquit) ardens febris; nisi adiuncta perpetuo habeat per totum morbum paulo ante commemorata duo; irrequietam sitim, quantumlibet biberint; ac iniocundum, & ardentem, fastidiosumque calorem. effectus alij ardētis febris sunt vigiliæ, ira; solitudinis, amor;

locu-

locutionis; dolor capitis; luctuosa suspiria; delirium; alui durities; vrina ignea, flaua; qui non necessario reperiuntur in maligna febre; quoniam hæc non raro pro vigilijs soporē; pro perturbationibus animi inanem credulitatē, quòd nullus subsit morbus; pro delirio stupiditatem; pro alui duritie turbatam aluum; pro vrina ignea, flaua vrinam sanis persimilem; pro capitis dolore capitis indolentiam habet. Multo minus febris maligna ex humore tantum est melancholico; tum quia cuiusuis humoris insignior putrefactio malignam febrem accendere apta est, non melancholici solius; tum quia melancholicus humor reliquis humoribus minus malignam febrem facere potens est; quòd sui natura sit frigidus, & siccus: quod temperamentum est ineptissimū, vt putredinem, quæ calore, & humore exuperat; concipiat: si quidem verum sit vulgatum illud philosophorum axioma; in non habentibus symbolum est difficilior transitus. Macularum color nō est semper idem; cum vero puniceę sunt; non ab atra tantum bile id esse potest, sed etiam à caloris extinctione. quòd febris maligna per dies pares interdum suas habeat exacerbationes; non id referendum est ad humorem, vel pituitosum, vel melancholicum; sed ad longitudinem exacerbationis; & ad morbi tum malignitatem, tum etiam pertinaciam: cum enim omnes ferè morbi acuti per impares dies sui natura moueantur; illi tamen, quibus prima accessio producitur vsque ad secundum diem; quæ prima die morbi finiri debebat; per accidēs mouētur per dies pares; quia secunda accessio non redit his nisi quarto die: quo fit, vt tanto deterius sit moueri acutum morbum per dies pares; quanto deterius est quamcunque exacerbationem esse longiorem. hæc vera esse apparet ex Hippoc. libro primo epidem. sect. 3. textu 13. & 14. lib. 3. sect. 3. textu 36.

& ex

& ex Galeno commen. in aphorismum 36. quartæ sect. reliqua, quæ Rondeletius adducit; nullius momēti sunt. quarta opinio est Ludouici Mercati in lib. de febre maligna; cuius oratio ita habet. nulli continuarum febrium generi (licet continua sit) febris maligna adstricta est; sed vagans, ac furens, iuxta naturam morbosi apparatus differentiam sortitur: & nunc vni, nunc alteri febrium speciei adiungitur; licet ipsa semper sit eiusdem naturæ; seruans in vnaquaque specie sibi propriam, & peculiarem cōditionem: quo fit, vt licet ob humoris, cui adiungitur, naturam; de genere sit cōtinuarum ex bile, pituita, aut melancholia; ipsa tamen semper peculiarem seruet naturam. qua videtur ab omni febrium genere longe differre. ex quo quidem fit, ad diuersas febrium differentias à Medicorum doctissimis non sine magna ratione reductam fuisse; nam cum ipsa per omnes diuersimode vagari habeat; nullam habet propriam, neque peculiarem speciem; ad quam reduci, aut à qua denominari possit; sed omnes illi sunt communes, & familiares. hæc Ludouicus Mercatus: quem puto alijs omnibus melius veritatem attigisse; est tamen fortasse aliquid, quod in eo desideres: quia cum docuisset malignam febrem per omnes omnium continuarum species posse vagari; subnectere debebat, ecquæ sit illa continua febris cum qua sæpius versari, & coniungi malignitas solet; nō enim vaga est adeo malignitas in febribus; vt vnam ex ijs aliquam non habeat præ cæteris sibi magis familiarem. hunc igitur laborem cū nobis Mercatus reliquerit; omni studio studendum est; vt in eo non inepte, & inutiliter versemur. Hippoc. sect. 2. lib. primi de morb. vulg. morbos describēs, qui in Thaso ex humida, frigida, aquilonia, & procellosa totius anni constitutione contigerunt; inter cæteras ægritudines perniciosam;

grauem;

grauem;lethalem; periculi plenam; papulis, & tumoribus nigricantibus insignitam; ac maxime generalem fuiſſe ſcribit febrem quandam, quæ tertianæ naturam referebat; & quæ in omnes citra vllum ætatis, & ſexus diſcrimen graſſabatur; malignitatis notas non vnam, aut alteram,ſed plurimas exhibens;vt cuiuis longam Hippoc. deſcriptionem legenti perſpicuum eſt: principium vero febris huius ab Hippoc.graphice,& diuiniſſime depictæ illud eſt,quod ex textu 25.præcedenti cap.adduximus. Continuæ vero febres omnino nunquam intermittebantur; ſed inuadebant omnes more febris naturam tertianę referentis &c.Gal.in hũc locum ſcribens duo docet. primum eſt.febrem tertianę naturam referentem generari non ex ſucco vno,ſed pluribus; quorum calidior febrem acutam ſuccendit,ſtatimq; diſcutitur; quæ dum corpus tenet; contingit frigidioribus corrumpi,ac putreſcere;atque iterum accendi ex illa remiſſione: atque iſta febris (inquit) deterior euadit priore; videlicet,quòd vires à prioribus moleſtijs defatigatas offendat. Alterum eſt; febres tertianæ naturam referentes ſui natura eſſe malignas, & pernicioſas: verba diſerta Gal.hæc ſunt. deteriorem fieri ferè diebus decretorijs tertianæ naturam referentium eſt proprium,non commune omnium:nam in libris de diebus decretorijs didicimus vſu venire iſtud morbis malignis. idem Gal.commen.30.in eandem ſectionem ſimilem ſententiam habet; febres nempe tertianę naturam referentes præter cæteros morbos, nedum præter cæteras febres eſſe prauas,& malignas. illius verba hæc ſunt. His itaque tertianæ naturam referentibus,de quibus hic diſputat,vt præter cæteros morbos malignis,neceſſario etiã ventres deprauabantur. Ex his colligitur propriam; & frequẽtiorem malignitatis ſedem eſſe in febre naturam tertianæ

refe-

referente: quòd hæc febris sui natura præter cęteras omnes malignitatis plurimum habere soleat. quidnam vero sit febris tertianæ naturam referens docet breuissime Gal. li. 3. in primum epidem. commen. 5. his verbis. febrem, quæ intra duodecim horas cesset, breuioris institutionis gratia appellabimus exquisitam tertianam; quæ diuturniorem hac accessionem habeat, adhuc ea tamen remissionem longiorem; vocabimus illam simpliciter tertianam; quæ vero accessionem plurimum productam, paruum autem interuallum; eam iam tertianam nominabimus productam: quę ad integritatem non veniat, sed horrificas primo quidem die faciat repetitiones; altero simplicem vnam accessionem; semitertianam hanc appellabimus: sin autem simpliciter tertio quoque die inuadat; τριταιοφυῆ, hoc est tertianæ naturam referentem. hæc Gal. qui etsi hoc loco; & lib. de morb. tempor. cap. 8. febrem appellat τριταιοφυῆ omnem febrem continuam, quæ tertio quoque die inuadit; lib. tamen 2. de crisib. cap. 6. exquisitam tertianam continuam appellat causon, & ardentem febrem. & lib. 2. in primum de morb. vul. commen. 25. scripserat febrem tertianæ naturam referentē generari non vno ex succo, sed ex pluribus: proindeque febris tertianæ naturam referens nihil est aliud, quàm febris tertiana notha, continua: quod vero Gal. scripserat febrem τριταιοφυῆ omnem febrem continuam significare; quæ tertio quoque die inuadat; non ad tertianam continuam exquisitam id referendum est; quæ propria appellatione ardens dicitur; sed ad varias, & multiplices species tertianæ nothæ; prout varius est humor, qui bili in hac febre potiores partes obtinenti permiscetur. tertianæ continuæ nothę malignitatem qui non credit; is secum animo reputet quæ de tertiana notha intermittente scribit Gal. libro primo ad

Glau-

Glauconem cap. 8. exquiſita (inquit Gal.) tertiana in ſeptẽ, quod lõgiſſimum eſt, circuitibus iudicatur; præter id, quòd etiam minime periculoſa eſt: alteram vero, quæ nõ eſt exquiſita; vidi quandoque cum in Autumno incœpiſſet, in Vere deſinere: Deinde verò (vt par eſt) in tempore adeo longo, tum quia ægrotus Medici præceptis parere noluiſſet; ſed in aliquo deliquiſſet; tum quia ex Hyeme læſus eſſet; lien valde intumuit; & præcordia flatibus ſunt oppleta; & iam vt ſubtumida erat quædam decoloratio in facie, ac præſertim circa crura: adeò vt nobis de iuuene dubitare contigerit; ac maioribus vti remedijs fuerit neceſſariũ. ſic igitur nihil ſimile habet huiuſmodi tertiana cum exquiſita. hæc Gal. quòd ſi periculi, & malignitatis aliquid habet tertiana notha intermittens; quantum periculi, & malignitatis credendum eſt reperiri in tertiana notha continua? quis neſcit, ſicut ſe habet tertiana notha intermittens ad tertianam exquiſitam intermittentem; ita habere ſe tertianã notham continuam ad tertianam exquiſitam continuam?

Num, & quatenus maligna febris ſit contagioſa. Cap. IIII.



DICTVM eſt cap. 48. partis ſecundæ libri primi de arte Medica contagij vim poſitam eſſe totam in igneo, & putredinoſo calore; quę in corpore ſubtili, liquido, & per viſciditatẽ tenuiſſimam tenaci tanquam ſubiecto inſit. conſiſtere febris malignitatem in craſſis humoribus per putredinem accenſis ante eſt dictum: emitti ab illis tenues, liquidas, & pinguiuſculas exhalationes ex maculis, ſeu peti-

culis constat; atque ex delirio: quæ duo symptomata febrem malignam magna ex parte consequuntur: non tamẽ contactu macularum serpit ab vno in alios maligna febris: quia Medici cum innumeros ægrotos quotidie tangant, quibus macularum plena sunt omnia; nunquam tamen ob id inficiuntur: corrupti halitus, qui è putredinis foco in caput ascẽdunt; multo minus polluere, & inquinare alios possunt; quoniam interni sunt; & à communi aura semoti; cur maculæ virulentiam suam tangenti non communicẽt; hanc ego esse causam puto; cutis densitas, & aeris occursus exiccauit sic illorum halituum, è quibus maculæ coaluerunt, liquiditatem; vt omnis potestas illis adempta sit vlterius serpendi; & in aliena corpora sese insinuandi. expirationes illæ, quæ per insensilem euaporationem efflantur à corrupto, & putredinoso corpore propterea non contaminant illos, qui prope ægrum assident; quoniam ingẽti sua tenuitate disperguntur facile; in minima abeunt; obruunturque & vi omni priuantur ab externi aeris amplitudine. idẽ censendum de expiratione per os facta; cum putredinis focus à respirationis instrumentis longius abest; multis, & intricatis anfractuum vijs interiacentibus; quæ putrium halituum vim tum frangunt, & dissipant: tum exhauriunt etiam; & velut combibunt. quòd si putredinis focus respirationis organis proximus est; ita vt halitus inde emissi neque fracti, neque resiccati ad os perueniant; quod indicat manifestus, & intollerabilis oris fœtor; non video cur illi contagiosa sua virulentia adstantem hominem nõ sint infecturi; si quidem ora in se sint inuicem conuersa; expiratique ab ægri ore vapores ore itidem excipiantur ab homine, qui ęgroto adstat: vt sic credam multa me inducunt; intensio putredinis; putredo ab vna parte alteri parti per contagiosam effuma-

ſumationem in ægroto communicata; quam rē nemo negare poteſt: facilitasq́ue, pronitas, & latitudo viarum ab ore ad cor. quod tamen ea conditione pro vero accipi velim; vt ſit in adſtante morboſus apparatus; qui putredinis flammam excipere; fouere; & retinere valeat; non enim impreſſio vlla recipitur niſi in patiente bene diſpoſito; vt Philoſophorum monumenta docent.

Quid differat maligna febris à peſtilenti; & num ea ſit morbus epidemicus. Cap. V.



QVANQVAM nos appellatione diſtinximus has duas febres, peſtilentem, & malignam; reuera tamen apud Galenum vtraq; febris idem nomen habet; peſtilensq́ue vocitatur; nobis non ob aliud à Galeni conſuetudine recedere libuit; niſi vt confuſio, & ambiguitas euitaretur: vulgari hac in re Medicorum loquendi more ſeruato. Gal. igitur cum vtranque febrem appellet peſtilentem; hoc tamen diſcriminis inter illas ponit; quòd altera id eſt vere peſtilens homines apprehendat cum peſte; altera vero id eſt maligna homines corripiat citra peſtem. id apparet primum ex lib. 3. de præſagit. ex pulſib. cap. 4. vbi ſciendum (inquit Gal.) nonnunquam incidere ſine peſte has ipſas febres; vt de illis prodiderunt omnes inſigniores Medici, vocantq́ue peſtilentes: deinde ex libro 3. in 3. de morb. vul. commen. 57. vbi ita ſcribitur. quod quidē ſymptoma videtur in perpetuum febris, quàm peſtilentem priuatim vocitant; cum mortales vel citra peſtem corripiat. Ex hoc poſtremo loco videtur poſſe colligi diſcrimen alte-

rum inter malignam, & pestilentem febrem: quòd scilicet febris pestilens sit semper morbus communis; maligna vero febris morbus sit priuatus, & sporadicus. quod videtur sensisse Laurentius Iousbertus lib. de peste cap. 5. cuius verba hæc sunt. hæc origo est febris, quam proprie pestilẽtem vocamus, & pestem, morbum: si quidem alia est; quam ex similitudine pestilentialem quoque appellant; quia eiusdem est ideæ & characteris; similiaque edit symptomata; & perinde lethalis habetur. cognationem adauget: quòd plerunque in simillima consistat materia; ijsdemq́ue prorsus egeat remedijs. Hoc ferè distinguuntur; quòd in sola pestilenti vera sit necessario aliquis bubo, vel anthrax; isq́ue latens, vel manifestus: præterea huius semper communis est causa; nempe aer venenatus; illa vero ex prauis alimentis vt plurimum excitari consueuit: ab his enim fieri possunt humores ad putredinem maxime comparati; qui malignam qualitatem non ægre concipiant: in nobis vero substantiam quandam veneno proximam gigni posse Galenus abunde docuit. Hinc fieri videmus vt post ingentem famẽ vigeant huiusmodi febres; & in pauperibus magis grassentur; sintq́ue non epidemici & communes morbi; sed sporades, atque priuati; vt qui ex cuiusque victu peculiari maxime nascantur; tales significasse Galenum existimo, dum ait quasdam esse febres pestilentes sine peste; hoc est aeris veneno. hæc Lauren. Iousbertus. qui quantum hallucinetur venenatum aerem pro peste accipiens, demonstrat egregie Thomas Iordanus tract. primo pestis phœnomenon cap. 3. sed hac de re alibi. quod ad rem pręsentem attinet; idem quod Laurentius Iousbertus sensit Ludouicus Mercatus in lib. de febre maligna; qui ita scribit. prima igitur differentia est; pestilentem tantum ex aeris contagione fieri præmissa

missa analogia ad aliquem ex humoribus; etiamsi secundũ naturam extiterit; maligna vero (nam sic placet appellare hanc febrem, in qua maculæ similes pulicum morsibus apparent, quia media est inter vere pestilentes, & simpliciter putridas) semper ex morboso apparatu proficiscitur; licet ex aere etiam suum nanciscatur principiũ; nihil enim prohibet ex hoc apparatu sordidam fieri putredinem; & reliquis grauiorem; ac mox ab illo per contactum medio aere in alios migrare. hæc Mercatus. qui duo auctores, viri alioqui doctissimi, & de re Medica optime meriti, à veritate (me quidem iudice) maxime recedunt. Cum enim ad constitutionem febris pestilentis duo concurrere necessum sit; vt ea sit pluribus communis; & vt sit maxime lethalis; maximeque perniciosa homines maxima ex parte enecãs, quos apprehenderit; quod colligitur ex Gal. lib. 3. in 3. de morb. vulg. commen. 20. ita scribente; neque enim certi est morbi nomen vulgare, vel pestilens; cæterum quicunque vno in loco multos simul inuaserit; vulgaris hic vocatur, qui simul si hoc habeat, vt multos perimat, pestis fit. cur accidere non possit ex communi aliqua causa, v.g. ex prauo victu in annonæ caritate; vel etiam ex praua aeris constitutione; vt maligna febris morbus sit communis, hoc est vel endemius, vel epidemicus: neque sit vere & proprie pestis, quia tametsi grauis valde, & periculosa sit: ægrorum tamen maior pars euadat sedula adhibita curatione? sunt morbi cõmunes plurimi carentes malignitate; sunt morbi communes perniciosissimi, qui pestem faciunt: cur vero non possint esse morbi aliqui communes inter hos medij, qui scilicet neque periculo, & malignitate careant: neque tamen ad summam illam, & extremam pestis perniciem accedãt? Anno M. D. LXXXXI. viguere maxime per totam ferè Eu-

rè Europam febres malignæ cum exanthematis, quæ non contagij vi ex vno in alium migrabant; ſed ex cõmuni Cœli ſtatu; hoc eſt, cum nulla præceſſiſſet cum ægrotantibus communicatio, & ſocietas; repente graſſabantur: idẽ contigit annis M. D. V. & M. D. XXVIII. vt refert Fracaſtorius lib. 3. de morbis contagioſis cap. 6. idem non toti Europæ, aut toti Italiæ, ſed vni Patauio contigit tempore (vt arbitror) Ioannis Baptiſtæ Montani; vt habetur in fine Conſiliorum; quæ is de febribus reliquit. hæ febres fuerũt haud dubiè morbi vulgares; quia illis conueniebat diffinitio morbi vulgaris, quam Gal. tradit lib. 3. in 3. de mor. vul. commen. 20. his verbis; quicunque morbus vno in loco multos ſimul inuaſerit; vulgaris hic vocatur. non tamen erant cum peſte; quia ſani cum ægrotis tuto verſari poterant; & maior ægrorum pars à morbo euadebat; cum rite curabantur: non igitur ob id differunt maligna febris & peſtilens; quia hæc vulgaris; illa priuatus morbus exiſtat. febres malignas anni M. D. LXXXXI. non ex morboſo tantum apparatu; ſed etiam ex praua aeris conſtitutione ortas fuiſſe vel inde colligo; quod tota illius anni æſtate per agros, per vias, per compita viarum, per ciuitates, per atria, per domos innumerabilis, & prodigioſa viſa eſt multitudo erucarum; quod inſectum certiſſimum eſt eſſe ſobolem putredinoſæ humiditatis. Cur verò malignam febrem Gal. vocauit peſtilentem priuatim? primũ, quia dantur febres malignæ ex morboſo tantum apparatu enatæ; non enim de eſſentia febris malignæ eſt, vt morbus ſit vel ſporadicus, vel epidemicus; tametſi veriſſimum eſt illam maiori ex parte morbum eſſe epidemicum; deinde, quia hoc differunt maligna febris, & peſtilens: quod febri peſtilenti cauſam præcipue dat vitiati aeris inſpiratio; morboſus verò apparatus

eſt ſo-

eſt ſolum conditio ſine qua non; & occaſio quædam: maligṇæ febri contra cauſam præcipue dat morboſus apparatu; inſpiratio verò aeris vitiati occaſionẽ ſolum præbet; eſtque tantum conditio, ſine qua morboſus apparatus febrem fortaſſe minime excitaret. conſtat id ex Galeno; qui cap. 4. lib. 1. de diff. febrium ita ſcribit. in peſtilenti aeris ſtatu inſpiratio potiſſimum eſt cauſa: fit enim & aliquando ob eos, qui ſunt in corpore humores ad putreſcẽdum paratos; cum breuem aliquam occaſionẽ ad febris originem ab aere ambiente acceperit animal. magna autẽ ex parte ex inſpiratione incipit aeris circunſtantis à putreſcibili euaporatione infecti, &c. quę Gal. verba docent ingentes, & validas obſtructiones requiri ad malignam febrem excitandam: at vero ad excitandam febrem peſtilentem leues obſtructiones ſufficere poſſunt. quin eſt cum homo nullis in eo obſtructionibus vigentibus peſtilenti febre corripitur; vt perſpicue colligitur ex Galeno; qui paulopoſt verba proxime citata ita ſubdit. ſupponatur igitur, vt in exemplis, in ambiente quidem aere nonnulla peſtilentiæ ſemina contineri; ac ea quę ab ipſo corpora continguntur, nonnulla quidem eſſe varijs admodum ſuperfluitatibus plena, iam ex ſeipſis ad putreſcendum paratis; nonnulla autem pura; atque carentia inutili materia: ac primis quidem adiungatur in multis corporis partibus obſtructio foraminum; atque ea, quæ plethora vocatur; & vita otioſa in multis crapulis, & ebrietatibus; ac rei venereæ vſibus immoderatis; atque ijs, quæ neceſſario omnia, quæ nuper diximus, conſequuntur, cruditatibus: reliquis verò omnibus corporibus puris, ac ſuperfluitatibus omnino carentibus adſint præter hæc bona, libera in omnibus ſpiratio meatibus; cum obſtructionibus, atque adſtrictionibus careant; exercitia etiam ſint mode-

rata;

rata ; victus temperatus; ac deinceps his ſuppoſitis cogita; quomodo vtraque corpora affici ſit rationabile ab eo, quē inſpirant aere putredinoſo: an non rationabile eſt, illa quidem ſtatim à prima inſpiratione principium putredinis ſumere; ac plurimum in malo procedere ? quæcunque autem munda ſunt, ac ſuperfluitatibus carent ; nonnulla quidem nihil; nonnulla vero minimum mali ſentire ; ita vt facilem ad naturalem habitum regreſſum habeant ? hactenus Gal. ex his omnibus deducitur; maius longe eſſe aeris vitium in peſte, quàm in febre maligna ; cum hæc morbus vulgaris eſt. ſed pergamus ad reliquas malignæ, & peſtilentis febris differentias: febris peſtilens contactu ſolo non cuiuſuis partis modo ; ſed etiam indumentorum , & rerum quarumlibet, quas æger tractauerit ex illo in alios ſeſe inſinuat; ſerpitque citiſſime ; quod minime accidit in maligna febre. Item putredo in peſtilenti febre eſt maxima , & efficaciſſima: in febre maligna eſt mitior, & minus efficax. quanquā enim æqualiter vtrobique corruptio fit innati calidi ; latitudo tamen magna eſt empyteumatis illius quod in humoribus relinqui ex putredine ſcripſimus. Præterea febris peſtilens vniformior eſt in omnibus, quos apprehendit ; propter mali cauſam potiſſimam , quæ cōmunis eſt; febris maligna eſt diſſimilior ; & multiformior ; quia illius cauſa potiſſima, quæ eſt morboſus apparatus, varia eſt, & multiplex pro ægrorum varietate. febris denique peſtilens citiſſime homines enecat : malignæ febris periodus eſt longior , & minus celer .

De signis malignæ febris. Cap. VI.

DIXI malignam febrem appellari illam; quæ grauiora infert symptomata, superuenietia; quàm febris facies præ se ferat. Cum igitur graue symptoma in febribus dicatur, quod periculi est plenissimum; dicendum haud dubie est in febribus malignis signa adesse læsionis non obscuræ principum partium, & principum facultatum. non enim timendum in febribus vel in alijs morbis de vita ægrotantis; nisi cum partes & principes facultates noxam patiuntur. debet igitur Medicus esse perspicacissimus; vt velut ex alta specula quæcunque principes partes læsionem esse ꝑpessuras vel remotissime significant; cito, prompteque cognoscat. Ad significandum vis maxima est in symptomatis; quorum triplex genus existit. actio læsa; excreta; & qualitas mutata. de quibus primum generatim; deinde sigillatim disserere oportet. Commune omnibus febris malignę symptomatis est (loquor de superuenietibus, quæ sola sunt malignitatis propria) ferocius sæuire; quàm morbus promittere posse videatur; ita, vt si quis periculum ex febre per signa pathognomonica agnitę cõferat cum periculo, quod imminet ex symptomatis superuenientibus vel omnibus, vel aliquibus; negligenda maxime prę illis febris videatur. id enim significat malignitas in febribus; fallere scilicet ægrotum & Medicum; lenique, & benigno quodam aspectu hostilitatis arma occultare; Hinc Hippocr. de his febribus orationem habens, lenes (inquit) à primo. Huius rei præter causas ante commemoratas, quas esse diximus difficul-

 tatem

tatem ſummam ſeparandi illud, quod eſt per ſe ab eo quod eſt per accidens; qualitatem energiacam actuali qualitati præpollentem; & permixtionem cum contrario humore; aliæ duæ cauſæ eſſe poſſunt: altera eſt humoris putris craſſities; craſſa enim ſenſim concipiunt putredinis ignem; eo concepto citius, & magis exurunt, ſeu corrumpunt, quàm non craſſa: item craſſa non ita late concepti ignis radios emittunt ad cutem vſque; ſicut illa quæ ſunt minus craſſa; id videre eſt per ſimilitudinem ex ferro candente & accenſa ſtipula. Humoris cum primis maligni non multa copia eſſe poteſt interdum altera: hic enim; ſi quemadmodum viget malignitate; ita eſſet etiam multus; repente, & momento ferè temporis hominem opprimeret; illumque de medio tolleret. quòd ſi petas cur natura humorem paruum, dũ crudus erat, non concoxerit; concoctumque expulerit; antequam is ad tantum putredinis culmen perueniret: reſpondeo in cauſa fuiſſe tum ſummam & pertinaciſſimam humoris cruditatẽ; quę ſi vincenda erat; longiori mora erat vincenda: mora autem omnis excrementorum in corpore periculoſa eſt: quia cum ſint præter naturam; paratiora ſunt ex ſe, dum ſunt in nobis ad putredinem, quàm ad concoctionem; niſi mature præuertantur. tum humoris eiuſdem craſſitiem difficile ſolubilem; ſcitum eſt enim quæ concoquenda ſunt; illa oportere antea comminui. ſæpe etiã natura vel ob multam alimentorum ingeſtionem, vel ob moleſtiſſimas animi ægritudines; vel ob mentis aut in ſtudijs literarum, aut in mercatura, aut denique in re alia occupationes graues; vel ob vitam aut nimis inertem, aut nimis exercitatam non ſinitur excrementa coquere. Subdunt alij, ſicut in ijs, quę ſpectãt ad vaſa primæ concoctionis quędam ſunt; quæ ventriculi, & inteſtinorum concoctionẽ effugiunt,

fugiunt,

fugiunt, v.g. vuarum cortices; lumbrici; cerasorum officula; & alia pleraque: ita in ijs, quæ spectant ad vasa secundæ concoctionis; in humoribus nempe quædam reperiri, quæ respuant alterationem quancunque seu hepatis, seu venosi generis; quòd substantiam habeant à sanguine, & sanguinis excrementis alienissimam: adducunt ijdem pro exẽplo humores illos, qui è venis effusi cancrum faciunt; vt. n. hi concoctionem recepissent in venis; cum in partem aliquam extra venas depositi nulla ope medicamentorum recipere vel tantillam concoctionem valeant? adducunt etiã in exemplum minerales aliquot & medicatas aquas; quæ nisi aut per sudorem, aut per vrinam, aut per aluũ deijciantur tales, quales præcise per os sumptæ fuerant; computrescunt necessario nullam à natura concoctionem recipere valentes neque illam quæ perfecta est; neque illam, quę est imperfecta; & concoctioni puris assimilatur. Horum opinioni videri possit alicui nos fauisse; cum scripsimus humores maligne & sordide putres innatum omnem calorem amisisse; quia probabile non sit naturalem calorem in materiam eam posse imprimi; ex qua semel totus recessit, propter vulgatum illud philosophorum axioma, quo dicitur à priuatione ad habitum regressum nullum dari; quidquid vero concoquitur caloris naturalis vestigium aliquod in se recipere; res est exploratior quàm probatione indigeat. sed horum sententiam à vero esse alienissimam demõstrabitur fuse, & perspicue in secundo libro. de symptomatis superuenientibus malignę febris sigillatim dicturi auspicabimur ab actione læsa; in qua primum occurrit pulsus; qui in maligna febre vel est languidior, & pressior multo, quàm lenitas ægritudinis ferat; vel est persimilis sanorum pulsibus; pulsum pestilenti affecti febre similem esse sani pulsus scri-

bitur diserte à Galeno lib. 3. de præsagit. ex pulsibus cap. 3. & 4. vtrobique circa finem capituli; sed Galeni dictum doctissimus Pręceptor Massarias libro de abusu vescicantium ad eam solum pestilentem, quæ hectica est, referri scribit: cuius interpretationem esse verissimam ex contextu ipso Galeni apparet; quia tamē cap. illo tertio non longe à principio Gal. vniuerse pronunciat, contingere interdum in calida cordis intēperie; vt pulsus sit naturalis, & moderatus; cum scilicet arteriæ laborant intemperie frigidiore: Galeni verba hæc sunt; quocirca contingit aliquando, vt arteria, quæ frigida est; sed à corde calefit; nec paruum pulsum, qui frigidæ est, edat: nec magnum, qui calidæ; sed inter vtrunque medium; qui naturalis est, & moderatus; videtur non esse præter rationem, vt in maligna febre pulsus sint similes sanorum pulsuum; febrili calore in intima cordis sese recipiente; arterijsque & externis partibus quasi algentibus; sicque horum frigiditate remittente vehementem, & celerem pulsum; qui æstuantis cordis proprius est; si præsertim arteriarum frigiditati languor etiam, & imbecillitas coniuncta sit: vicissimque cordis calore augente languidum, & paruum pulsum; qui proprius est arteriarum vel frigida intemperie, vel imbecillitate; vel etiam vtroque vitio laborantium. Rationi ex Gal. fontibus petitæ; per Iosephumque Struthium lib. 3. & 5. sphygmicæ artis multis repetitę accedit experientia. Ego enim cum iuramento possum affirmare aliquot ægrotos maligne febricitantes omni hecticæ suspicione carentes tetigisse; quorum pulsus nihil differebat à naturali pulsu. huius rei aliam assignat causam Thomas Iordanus in pestis phœnomenis tract. 1. cap. 15. quæ aspernanda non est. fieri (inquit) posse dicimus, vt in corde simul, & semel duæ sint intemperies contrariæ; tametsi

non

non secundum idem; calor nimirum, & frigus; vnde emergit affectus, qui Medicos causarum inuestigatione districtos non leuiter perturbat; quia ex duabus intemperaturis fit æquilibrium quoddam; seu falsa quædam temperies; quæ etiam oculatos decipit: cum calida intemperies reprimitur & obtunditur à maligna humoris frigidi natura; vt quantum addere debeat calor ad magnitudinem pulsus; tantundẽ illi frigidus humor detrahat: aut viceuersa quantum frigus tarditati, & paruitati indulsisset; tantum illi ab humoribus calidis ademptum sit. Esse posse in corde respectu diuersarum partium contrarias intemperaturas ita idẽ ostendit. Detur intemperies cordis frigida; in ipsius vero sinibus, aut locis contiguis materiæ putrescant: illa quidem ex sui natura paruos, pressos, tardos, & exiles promet pulsus; è contrario hæc magnos, veloces, frequentesque conciliabit. His coniunctis, aut permixtis quasi medium quid exurgit naturæ persimillimum; & paulopost. ponatur per hypothesim cor incaluisse ab ortu; & prima generatione; vel acquisititio temperamento; aut etiam præter naturã, morbosa dispositione; veluti in hectica fieri consueuit: substantia inquam cordis contraxit maiorem calorem, quàm propriâ natura requirebat: is pulsu sese prodet magno; qui & tangentis digitum resultare faciat, inæquali, frequenti, veloce: interea quid obstat, quominus in ventres cordis illabantur frigidi, crassique succi, qui contrarias edent pulsationes: quod & melancholicis familiare est; vaporibus frigidis cordi transmissis; vnde etiam sæpe in ijs intermittunt. & rursus post pauca verba. nec requiritur, vt eiusmodi humores semper in sinibus cordis coaceruentur; quia idem euentus sequetur; si in vicinioribus venis collecti fuerint; aut ore vẽtriculi; quod præ omnibus reliquis humani corporis

poris

poris partibus maximam cognationem,& affinitatem cum corde obtinet;cui si humor impactus fuerit frigidus;ob cōmunionem,quam habet cum corde; illi participat affectionem tantisper; vt grauiora quoque mala inuehere; nedum pulsum mutare queat. Pulmo & ob viciniam, & ob duo ingentia vasa venam videlicet arteriosam, & arteriam venosam quàm maxime compatitur cordi : quocirca si quidpiam congestum fuerit illhic humoris frigidioris & peruersi; tantæ erit is quoque efficaciæ;vt alterare pulsum valeat: idem in spiritibus cordis euenire potest; quod in humoribus,& substantia ; cum aliqua occasione incalescentes, vel torpore quodam affecti ad cor calidius, vel frigidius refluxerint. hactenus ille. Ad actionem læsam spectant quoque virium exolutio subita; lassitudines adeò magnæ; vt supini iacere cogantur ægroti ; mæstitia ingens, quod refertur ad cordis exiccationem ; & ad naturalem quandam animi de futuro interitu præsagitionem; afflictio oris ventriculi ; delirium ; vigiliæ; sopor; iactatio corporis totiùs nulla inquietudinis manifesta causa apparente ; respiratio longior ; aut etiam frigida,vel fœtens; non sitire in magno ardore;vel sitire admodum cum febris facta est remissior ; præsertim si accedat linguæ nigrities,& scabrities.illud emortuam facultatem; hoc in visceribus collectum calorem significat: Cōuulsiones,maxime in facie ; cibi fastidium ; capitis grauitas multa , & immedicabilis ; & id genus alia ; de quibus Hippoc.& Gal. plerisque in locis ; sed præcipue in primo libro de morbis vulg. Excreta malignæ febris significatiua hæc sunt. Egestiones liquidę,corruptæ; valde fętentes; colliquatiuæ; sudor minutus,fœtēs,& in parte solum aliqua factus ; stillę è naribus, ventris deiectio multa per initia morbi;hęque aut vacuationes aliæ quæcunque citra alleuiationem factæ.

factæ. Vrinæ vel ſubiugales; vel tenues & albidæ; vel ſimi les ſanis. horum ſymptomatum magna pars quam cauſam habeat; conuenit inter omnes; quia de illis tractarunt Hippoctates, & Gal. in lib. prognoſt. in lib. de morb. vulg. & in lib. de criſib. fuſiſſime; & doctiſſime: vnum eſt; cuius cauſa eſt nobis reddenda; vrinæ ſimiles ſanis; quia de eo Hippocrates & Galenus Medicinæ Proceres nihil aperte ſunt philoſophati. Ludouicus Mercatus tract. 3. de febre maligna ratio (inquit) proculdubio eſt; quia venenoſa; qualitas & interior eſt; & paulatim, ac citra manifeſtam humorũ perturbationem agit; quo fit, vt minime in principijs eius opera eluceſcant: quia maior eſt venenoſitas, quę clam operatur; quàm putredo, quæ vrinam immutat; poſtea tamen dũ maximam materiæ partem obſederit; vrina turbatur; inſequens turbationem; quam humores perpetiuntur. hæc ille. qui mea ſententia multis modis peccat; nam ſupponit vrinam ſanis ſimilem nunquam in toto malignæ febris tempore apparere; quod conſtat eſſe falſum. diſtinguit venenoſitatem humoris ab eiuſdem putredine; quod veritati repugnare patet ex antedictis: nominat interiora; cum tamẽ non exponat, quænam illa ſint; rẽ ignotam per magis ignotam declarans; videturq́ue in interioribus non ponere venoſum genus; cuius argumentum vrina eſt; quod quantum repugnet veritati; ſi de præcipuis & maioribus venis ſermo ſit; nemini vel parum in Anatome exercitato eſt ignotum. quod ait, humotes, qui ſunt malignæ febris materia; paulatim agere; eſt ſimiliter falſum. cum certum ſit malignam febrem in morbis acutis numerari; qui temporis celeritate diffiniuntur; conditionibus alijs quibuſdam adiunctis: & Gal. mille in locis ex Hipp. doctrina docuit; morbum, quo malignior eſt; eò citius ægrotum interimere. Hippoc. lib. 3.

pro-

prognost.tex.6. febres (inquit) simplicissimæ, & signis firmatæ securissimis quarto die, vel etiam ante desinunt; malignissimæ vero, & signa habentes grauissima quarto die, vel ante quartum occidunt. scripsimus nos hoc eodem capite malignæ febris materiam; quia crassa est; sensim concipere putredinis ignem; sed ea oratione hoc solum volui dicere: malignas febres mitiora habere, longioraque initia, quam reliqua tempora respondeant; & tantum abest, vt Ludouicum Mercatum imitatus absolute pronunciauerim febris malignæ materiam paulatim agere; vt contra post ea verba subdiderim illico; humores, qui faciunt malignam febrem putredinis igne semel concepto citius, & efficacius labefactare & corrumpere omnia, quàm humores alij facerent. Ioannes Franciscus Vlmus lib.4. de vrinis cap.6. quoties (inquit) Medicos vrinam optimam contemplari videamus; & tamen ęger moritur illis de salute pronunciantibus sicuti accidit sæpe in morbis acutioribus; in malignis, & pestilentibus febribus; in quibus vt superius adnotauimus, fieri possit; virtutem naturalem recte suo munere fungi; cũ tamen vitalis ipsa à morbi vi, & malignitate superetur omnino, & prosternatur? hæc Vlmus. cuius sententia mihi nõ probatur: consentiunt enim in humano corpore inuicẽ omnia; neque credendum est vitalem facultatem posse periclitari; naturali integra manẽte: quæ enim conspiratio maior quàm venarum, & arteriarum? quàm sanguinis, & vitaliũ spirituum? quæ necessitas mittendi sanguinem ægroto maligne febricitanti; si nullum is in venoso genere vitium habet? Dicunt alij causam esse; quia maligni humoris minera est in caua hepatis parte, non in gibba; aut supra gibbam: sed neque hi recte dicunt; quoniam certum est; nisi illius humoris turbatio, agitatio, & commotio hepatis regionem

totam

totam transcēderet per venosum genus, ægrotum nunquã correptum iri febre. mitto quòd vrina eorum quoque, quę in caua hepatis parte continentur; per se inditium est. scribit quidem Auicennas lib. 1. fen 2. doct. 3. summa 2. cap. 1. in hunc modum; scito, quòd prima significatio quam vrina habet; est de dispositione hepatis, & uiarum aquositatis, & super dispositiones uenarum; & eis mediantibus alias monstrat ægritudines: firmior tamen significatio est illa, quæ de hepate existit, & proprie de dispositione gibbositatis ipsius. ex his tamen uerbis nemo ingeniosus colliget minera putris humoris in cauo iecoris existente; febremque excitante posse urinam reddi probam, & laudabilem. Conciliator differentia 94. urina (inquit) naturalis uidetur existere: similiter & pulsus, cum fuerit ita natura perterrita, & succumbens, ut & nullo attentet insurgere contra morbũ modo, sed conuertat se, ut corpus gubernet, uelut in sanitate. qui ea ratione maxime peccat; quòd naturam credit ratione, & intellectu indeterminatis potentijs præditam esse: consultoque, & ex deliberatione agere, non definite, & determinate; ut Philosophi omnes docent. Scaliger exercit. 32. de subtil. idcirco (inquit) pestilentia captis accidit interdum; ut neque urina, neque pulsus differant à sanorum uel pulsu, uel urina; propterea quòd uenenum certis, compertisque qualitatibus nondum in cor fecerit impressionē; qui ideò audiendus non est; quòd supponit urinam nõ posse alterari nisi impressione ante facta in corde; quod à uero est alienissimum. Vrina etenim hepatis potius, & uenarũ; quàm cordis, & arteriarum impressionem sequitur. Thomas Iordanus tract. 1. pestis phœnomenon cap. 14. credit lotia pestilenti febre affectorum ob id interdum esse sanis persimilia; quia focus putredinis in huiusmodi febre est in

corde; non in iecinore;neque in uenis à iecinore propagatis. Vrinam etenim fallax præbere indicium in cordis, & cerebri affectionibus; quòd ſicut Gal.ſcribit lib. 1.de criſibus venoſi ſolum generis,& viarum per quas tranſit, affectiones illa indicat. quoniam vero Fernelius in ſuo de vrinis tractatu ſcribit ſeroſam ſanguinis partem,ex qua fit potiſſimum vrina; vnà cum ſanguine per vniuerſum corpus diſtribui; illic vectoris munere fungi: eo verò munere perfunctam vel per habitum corporis ſudore diffluere; vel eodem tractu in renes,& veſcicam è minoribus maiora, amplioraque vaſa ſubeundo,relabi. ob idque vrinam poſſe diſpoſitionis partium omnium corporis ſignificationem exhibere: multis Iordanus hanc Fernelij ſententiam exagitat; demonſtratque ſerum ſanguinis, ex quo fit vrina è proximis tantum venis relabi renum vi attractas; non ex venis totius corporis, etiam illis,quæ à iecinore,& renibus remotiſſimæ ſunt; non enim ad tantam diſtantiam valere renum attractionem; & multo minus eſſe veriſimile illud vel ſponte ſua quaſi ratione præditum per venas redire; vel ab ambitu corporis in viſcera retropelli. ſed quidquid ſit de Fernelij opinione; & quidquid ſit de hominibus peſte laborantibus; non poteſt Iordani ratio accommodari ad vrinas illorum, qui maligne febricitant: quoniam in his putredinis focus non ſolum in corde; ſed etiam in iecinore eſſe poteſt; vt ante oſtendi. deinde falſum eſt ſerum ſanguinis, ex quo fit lotium, non relabi ex arterijs. Gal. libro primo de ſanitate tuenda cap. 12.quod (inquit) in venis,& arterijs excrementum aceruatur, eiuſmodi plane eſt; quale in lacte concreto ſerum; hos renes à ſanguine ſecernentes ad veſcicam tranſmittunt. Tertio, non Fernelij ſolum, ſed Galeni etiã opinio eſt; ſanguinis ſerum antequam vrina ſit; in venas

omnes

omnes diſtribui, vt ſit ſanguinis vehiculum. apparet id ex lib.4.de vſu partium cap.5. & 6. & ex libro primo de naturalibus facultatib.cap. 17.diſerta verba non refero; ne liber in molem immenſam fruſtra excreſcat. quod idem Iordanus ſcribit, non videri probabile ſanguinis ſerum, ex quo vrina fit; ab ambitu corporis in venas maiores retropelli; ex quibus deinde renes illud commode attrahunt; à ratione penitus abhorret: quoniam partes omnes noſtri corporis tum attrahendi humorem ſibi familiarem;tum expellendi illum,qui familiaris non eſt;vim poſſident:contingitque ſæpiſſime;vt quod à parte aliqua maxime longinqua, v.g. à pedum digitis expellitur tanquam inutile excrementum; ab omnibus alijs partibus per ſucceſſionem vnius poſt aliã eouſque expellatur; donec foras,& extra totum corpus extruſum ſit;hinc ſpontaneæ purgationes totius corporis per aluum factæ; hinc vomitiones corpus vniuerſum prauis humoribus,velut graui ſarcina deonerantes:qua de re doctiſſime Gal.lib.3.de facultatibus natur.cap.13.quid igitur mirum,ſi venæ remotiſſimæ probo ſanguine in alimentum attracto illius ſerum tanquam inutile excrementum per conuenientem regionem à ſe abijciant? ſi venę venis in expulſione molienda ſibi inuicem,& immediate ſuccedant;cunctæque in hoc opere conſentiant? quid illis à ſero ſanguinis contingere poteſt emolumenti? inutile vero,& alienum ſi eſt; cur à ſe non expellant,& abijciant? Quid ego ſentiã de propoſita quæſtione, poſtulatis quibuſdã præmiſſis explicabo. Primum. Vrinæ ſubſtantia conſtat ex parte potulenta alimentorum; quæ ob ſui ineptitudinem ventriculi,atque hepatis concoctionem effugit; atque ex ſanguinis ſero; quod num ſit quatuor generum, vt ſunt quatuor humores; quod Gal. credidit: an ſimplex & vnum;vt credunt

alij; non diſputo in præſentia. Secundũ. Vrina non præbet ſignificationem vllam corum, quæ in venoſo; aut arterioſo genere fiunt; niſi cum ſerum; & potulentum illud, qđ dixi; particeps eſt vtrunque alterationis illius; quæ fit in vaſis dictis. pone enim humores eſſe vel concitatiſſime alteratos; ſerum autem immune omnino ab illa alteratione: vt poterit hoc illorum exhibere inditium, & coniecturam? Tertiũ. fieri poteſt in etherogeneis; vt partes aliquæ quidpiam perpetiantur; alijs illæſis penitus manentibus. id uidere eſt ſæpe in ſimplici aliquo alimento, etherogeneo tamen; cuius pars aliqua aut aceſcit; aut fit nidoroſa; aut corrumpitur denique in uentriculo; reliquis illius partibus in chylum; in ſanguinem; & in noſtri ſubſtantiam citra corruptelam omnem abeuntibus: idem contingit pleriſque alijs in rebus; pars butyroſa & caſeoſa igne, & coagulo immutantur non parum; concreſcuntq́ue; pars ſeroſa manet nihilominus inalterata. In uino temporis uetuſtas abſumit penitus ſeroſum uini liquorem; uinoſo ſucco integro ſemper manente. quis neſcit in aqua maris permixtam exhalationem, ſalſedinis cauſam, tametſi res ſit cumprimis tenuis; corrumpi poſſe; & prorſus abigi; liquore ipſo aquæ ne tantillum quidem immutato? quis negabit quotidie euenire in corporibus noſtris; ut unus aliquis humor ex quatuor (licet ſint omnes inuicem permixti, & confuſi) aut uratur, aut corrumpatur; reliquis manẽtibus inalteratis? hinc icterus; hinc tertiana exquiſita; & morbi alij innumeri. His poſitis reſpondeo ad quæſtionem; uſu euenire interdum in malignis febribus; cum ſcilicet, humor totius mali cauſa craſſus admodum, & uiſcidus eſt; ut turbæ maximæ in humoribus omnibus concitentur; ſanguinis ſero manente inalterato. id fit; tum quia ut ſcribitur ab Ariſt. in habentibus

ſym-

ſymbolum eſt facilior tranſitus; tum quia ſeri tenuitas, & fluxilitas effugiunt maligni illius humoris craſſitiem, & uiſciditatem. Sic Eurus immenſas arbores euellit radicitus; leuiſſimam harundinem ne afficit quidem. Contra pyrius puluis ſi ſtipulam aut paleam habeat obuiam; in ignem du cit præcipitem; ſi metalla, aut ligna denſiora ſuperuolet; illa relinquit uix tantillum calefacta. Cauſa etiam, cur urinæ maligne febricitantium ſint interdum ſanis perſimiles; eſſe poteſt obſtructio maxima, & inuictiſſima. quoniã neque hac diſſolui cœpta; neque ad eam reliquarum uenarũ humoribus aditu ſatis libere patẽte; talis prodit urina; qua lis prodiret; ſi neque principium, neque tempus aliud illius morbi ſuiſſet; urina etenim initio cruda eſt; quia natura om nia retinet; poſt coctionem oſtendit affectiones uenoſi generis; quia obſtructiones paulatim diſſoluuntur. In ſymptomatis tertij generis occurrunt primum peticulæ: Valeſius commen. 90. in lib. 5. epidemiorum colligit ex Hippocrate non tantum ſequi tanquam ſignum ſuperueniens; ſed etiam præcedere interdum peticulas malignam febrẽ: quæ res ad præſentem diſputationem non multum habet momenti; quia res eſt certiſſimæ ueritatis peticulas maxima ex parte febri ſuperuenire; non febrem antecedere. ſcientiarumque decreta de ijs ſunt, quæ plerunque fiunt; non de ijs, quæ raro eueniunt. num Hippoc. peticulas cognouerit; non ſum ualde ſollicitus; lubensque, & ultro laborem hunc Ludouico Mercato, & alijs relinquo. illud quæro, quæ cau ſa ſit peticularum. Maxima pars Medicorum peticulas referunt ad feruorem, & ebullitionem ſanguinis; non animad uertentes, hæc ſi uera cauſa eſſet; non minus in ardente febre, quàm in maligna peticulas apparituras. mitto, quòd non exponunt, quatenus id fiat. Ego conſtanter credo;

nihil esse aliud peticulas nisi crassas exhalationes putris,& ebullientis in venis humoris; quæ ob crassitiem & pinguitudinem superare cutem non potuerunt. sic enim sulphur; quia crassum est, & pingue suo fumo hominum facies tingit. sic menstruus sanguis,cum sit crassior ob suppressionẽ; mulieres maculat. quod idẽ videre est ex metallicis, & mineralibus effumationibus in illis; qui fodiendis metallis operam nauant. hinc patet vulgaris error Medicorum summe semper expetentium; vt peticulæ magna copia appareant in malignis febribus: quasi id magnam ægroto alleuiationem afferat; educta (vt dicunt) seu minorata morbi materia; non enim peticulæ materia sunt semper malignæ febris; cum in ijs nullus sit humor: qui si adesset; tubercula faceret: sed sunt exhalationes meræ; quæ quando essent etiam frequentissimæ; nihil ob id decederet morbificæ materiæ in venis, & visceribus ebullientis; nisi quum vel hæc est ita pauca,vt in exhalationes tota abire possit; vel materia putredinis antecedens est ita tenuis, vt per totam cutẽ dispergatur; antequam ad putredinis focum perueniat; instar bilis in morbo regio critico. obijciat aliquis constare experientia; non bene cum illis ægrotis agi; quibus peticulæ semel visæ paulopost euanuere; & in viscera se rursus receperunt. Respondeo huius rei causam esse; aut caloris naturalis mortificationem; quia malignus humor de se mittere solus exhalationes non potest; sed habet ad id opus naturali nostro calore: aut exhalationum iter alio traductum: fit enim sæpe, vt in caput solum ferantur à magno illius feruore attractæ; si præsertim subtiliorem substantiam; feruidioremque sortitæ fuerint propter adauctam in visceribus ebullitionem. Nostram hanc sententiam argutulus aliquis sic videtur posse exagitare. similis origo est morbillorum,

& peti-

& peticularum; at morbillorum pleni ſunt interdum pueri,& infantes ſine vlla febre: non ergo peticulæ à putredine,& ebullitione ſunt ſemper: confirmatur ratio; quia innumeræ ſunt cutis defœdationes,& maculę ab interna cauſa ortæ citra omnem febrem; & præſertim in facie; de quibus agitur in ea Medicinæ parte; quæ eſt de decoratione: at peticulæ quid ſunt aliud, quam cutis defœdationes, & maculæ? epinictides quis Medicorum ignorat ſæpiſſime apparere ſine omni febre? Plurimi item turpiſſima ſcabie laborant toto corpore ob vitium iecoris; in quibus nulla febris ſuſpicio eſt; at laborare ſcabie plus eſt, quàm laborare maculis. Non ob id peticulæ proficiſcuntur neceſſario à putri, & febriliter ebulliente in venis humore; quia craſſæ,& pingues exhalationes,& fœdæ maculæ ſunt; hoc eſt, quia ſunt peticulæ: quis enim neſcit calorem noſtrum ſeu in probos,ſeu in improbos humores agat; ex ſe, & citra febrem omnem fuligines, vapores, atque exhalationes quotidie mittere in totum corpus? ſed quia nunquam ſolent apparere niſi homine in vitæ diſcrimine poſito, & grauiter ægrotante; cumque probabile non ſit calorem in corpore dominantem,vaporeſque,& exhalationes quoquouerſum mittentem belle ſe habere; dum tota hominis vita morbo magno, acutoque afficitur,& conflictatur; conſequens eſt neceſſario; illum quoque in inſignem tunc intemperiem, & in ſtatum valde præter naturalem deductum fuiſſe per eundem morbum. at ea intemperies non poteſt eſſe niſi calida; calida inquam ad febrem vſque: quia morbi magni, & acuti à calore ſunt omnes, vel nimis preſſo; quod accidit in apoplexia,epilepſia, dolore colico; & morbis ſimilibus; vel nimis fœrociente; & ſupra modum adaucto;quod accidit in morbis acutis cum febre. conſtatque ratione, & expe-

experientia morbum malignum cum peticulis non ad primum, ſed ad ſecundum acutorum morborum genus pertinere: ratione inquam; quoniam in totum corporis ambitum exhalationes mittere caloris eſt non preſſi, ſed validi: experientia vero; quoniam neminem hactenus peticulæ ornarunt, qui careret febre. num vero peticulæ apparent ſemper ſymptomatice, an interdum etiam critice? Peticulæ, quatenus qualitas mutata non fiunt critice; niſi quum euacuationem quapiam criticam ſibi reſpondentem conſequuntur. ex omnibus excretionibus ſudor ſolus per conuenientem peticularum regionem, & viam fit; ſudori igitur critico coniunctæ eſſe debent peticulæ; vt criticæ appellentur. at id raro accidit; quia peticulæ apparent vt plurimum in ægroto ante concoctionis ſigna. dixi (vt plurimũ,) quia accidit interdum quanquam rariſſime; vt ſicut morbus regius poſt ſeptimum diem ſoluit febrem; ita peticulæ critice apparentes, tanquam excretum quoddam, ex toto auferant malignam febrem: quum ſcilicet materia malignæ febris vel ita pauca eſt; vt tota in exhalationes craſſas, & pingues, tanquam in cineres abeat; quod ego ſemel tantum vidi accidere in hetruſco quodam iuuene. vel eſt ita tenuis, & ichoroſa, vt priuſquam putredinem concipiat; atque in putredinis foco retineatur; tota antecedẽter per externam corporis cutem diſpergatur; eò modo, quo bilis per morbum regium criticum in febre tertiana; dum cauſa morbi eſt antecedens tantum; & priuſquam putredinem concipiat; quæ eſt cauſa febris coniuncta; per habitum corporis diffunditur. facitque icterum; illud primum innuitur manifeſte à Gal. qui lib. 5. de methodo medendi cap. 12. in hũc modum ſcribit qui ex peſtilẽtia hoc vitio laborarunt; propterea mihi facile ſanati videntur; quòd præſiccatum ijs,

per-

perpurgatumque corpus fuerit; quippe cum & vomuerint ex ijs nonnulli; & omnibus venter profluxerit. atque cum ita iam vacuati essent; qui euasuri erant; ijs pustulæ, quas exanthemata vocant; nigræ toto corpore confertim multæ apparuerunt, vlcerosæ quidem plurimis, omnibus certe siccæ. Eratque intuenti perspicuum, reliquias esse eas sanguinis; qui in febri putruerat; quas veluti cinerem quempiam natura ad cutim trusisset; sicuti alia ex superuacuis nonnulla trudit. hæc Gal. peticulæ colore suo humorem demonstrant, è quo prodierunt: rubræ ad sanguinem; nigrę ad atram bilem; & ad caloris extinctionem; albidæ ad pituitam; flauæ; violaceæ; virides ad flauam bilem; liuidæ ad caloris extinctionem referuntur. hæc de causis peticularum. Ad tertium hoc symptomatum genus caliditas quoque, & frigiditas referuntur: Carnes illorum qui maligne febricitant; si quidem calentes sunt; non flammeo, sed candenti calore calent; propter humoris crassitiem; calore eo non statim, & ad primum occursum; sed post moram aliquam percepto ab homine tangente: sin vero frigentes sunt, calore toto intra viscera collecto; vdo quodam, & soluto frigore frigent; nunquam deinde recalescentes; & si maxima, & validissima remedia tententur. Hippoc. lib. 1. de mor. vulg. sect. 2. tex. 28. frigebant (inquit) his multum extremitates; ac vix calor his reuocari poterat. dicet aliquis fortasse; hoc signum esse pathognonomicum lypiriæ febris; proindeque inepte in symptomatis malignæ febris connumerari. Respondeo signum hoc per se sumptum esse pathognonomicum febris lypiriæ; alijs tamen adiunctum signis maximam ad malignitatem significandam vim habere. quid? Gal. lib. 4. aphorismorum commen. 48. febris, quæ lypiria est; est etiam maligna. Fracastorius in signis malignę febris ponit

tensionem hypochondriorum; sed non bene. Hippoc. etenim in quibusuis morbis acutis ferè, hypochondria solet considerare; vt manifestum est ex libris de morb. vulg. non vno in loco. & prognost. 23. libri primi generalia signa docet ex hypochondrijs accepta distentis, aut mollibus. ob id videtur mihi symptoma hoc non proprie admodum ad malignam febrem pertinere.

FINIS LIBRI PRIMI.



DE NATVRA, ET CVRATIONE MALIGNAE FEBRIS LIBER I.



De indicationibus curatiuis malignæ febris. Cap. I.



NDICATIONES omnes aut ſunt curatiuæ, aut ſeruatiuæ; reliquæ omnes ad has duas referuntur facile; ſiue contraindicationes; ſiue coindicationes; ſiue alio nomine appellentur. indicant ſeruari, & cuſtodiri vires naturæ; curari, tolli, præcauerique affectus, qui ſunt præter naturam indicant; hoc eſt cauſa,& morbus. Symptomati nulla per ſe curatio competit, quatenus vires ſeruentur in maligna febre; differetur in tertio libro. quatenus febris maligna,& illius cauſæ tollenda; vel inhibenda ſint hoc ſecundo libro eſt differendum; initio ſumpto ab indicationibus; è quibus curatio tota elicitur. Cauſæ febris putridæ cuiuſuis tres ſunt. Prima & remotior eſt obſtructio. Secunda prohibita tranſpiratio caloris. Tertia, putredo: morbus eſt febris ipſa. ab his tribus cauſis,

& à febre ſic docet elicere indicationes Gal. lib. 11. de methodo meden.cap. 10. Ergo qui febrem curare volet; neceſſe eſt putredinem inhibeat: ita duæ indicationes ſe exhibent; altera à febri; altera à putredine. atque à febri rurſus duæ; ſcilicet vt portio febris, quæ iam facta eſt,percuretur: quæ vero in generatione eſt,inhibeatur: aliæque duæ rurſum à putredine erunt indicationes; vt & quod putredinis iam factum eſt; ſanes: & quod in generatione adhuc eſt;ſiſtas. Porro,quod in generatione eſt; id adiapneuſtia,id eſt perſpiratio impedita facit; nihil enim deterius fuerit clarioris doctrinæ gratia ita eam nominare: ita ab hac quoq; aliæ duæ indicationes naſcentur; tum,vt quod retentũ eſt; vacuetur: tum,vt quod retinendum eſt, prohibeatur.ſanè prohibebitur ijs præſidijs,quæ obſtructioni medentur:cuius rurſum ipſius,quod iam factum eſt;ſanandum eſt:quod futurum eſt; inhibendum. at curabitur quidem quod obſtructionis iam factum eſt, per ea quæ obſtructa liberant: inhibebitur quod futurum eſt; ſi affluxũ obſtruentium ſuccorum compeſcas. Ergo quod vltimum in ipſa reſolutiua methodo eſt inuentum; id primum omnium in curatione eſt peragendum: oſtenſum enim in prioribus libris eſt; ſi ijs auxilijs, quæ obſtructiones eximant, vti; non vacuata prius multitudine velimus: fore; vt non modo nihil proficiamus; ſed etiam affectum maiorem reddamus; pugnantibus ſcilicet inter ſe indicationibus: at ſi vacuata prius multitudine ad curandam obſtructionem accedamus; medicamentis ijs, quæ obſtructiones expediant; erit opus.hęc Gal.ex cuius oratione,ſi his addas quę cap.9.ſcripſerat;colligitur perſpicue; debere Medicum, qui febrem putridam ſuſcipit curandam; primum euacuare, & reuellere ab obſtructionis loco: deinde tollere obſtructiones; eademque

opera

opera inhibere per contraria febrem, quæ in generatione est; & inhibere etiam putredinem; tum illam sistendo per contraria; tum alliciendo naturam ad concoquendum & illud, quod semiputrescens, & semimalum est; & illud, quod est omnino putridum: peracta concoctione euacuare rursus: sic enim portio febris, quæ iam facta est, percuratur: tandemque inhibere, & sistere maioribus præsidijs, quæ contraria sint, vt priora; tum putredinem tum febrem. quæ febri, quæ putredini contraria sint; cuiuis notum esse arbitror: peccat enim febris calore, & siccitate; putredo calore, & humiditate. caloris contraria sunt refrigerantia; siccitatis humectantia; humiditatis exiccantia; atque hæc vel actu, vel potentia; & vel per se, vel per accidens talia sunt. Cumque indicatio sumpta à febre pugnans sit cum indicatione exiccandi, quæ à putredine sumitur; illi indicationi satisfacere Medicus potissimum debet ex duabus; quæ magis vrget; altera tamen indicatione minime neglecta. contra hæc ita aliquis fortasse argumentabitur. non est verum, illud quod est omnino putre, indicare sui concoctionem æque; vt illud, quod semiputrescens, & semimalum est: quia Gal. lib. 11. methodi cap. 10. à putredine (inquit) aliæ duæ erunt indicationes; vt & quod putredinis iam factum est; sanes: & quod in generatione adhuc est, sistas: at videtur nihil esse aliud sanare id putredinis; quod iam factum est; nisi illud euacuare: quia idem Gal. cap. 13. eiusdem libri at vero (inquit) in humorum putredine & excretio, & refrigeratio, & ventilatio, & semiputridorum concoctio ex aduerso respondent: ipsius vero febris refrigeratio, & oppositio est. quibus verbis innuitur aperte putridos humores indicare sui excretionem, & refrigerationem; non sui concoctionem; nisi quum semiputridi sunt. nullus humor est cor-

ruptus

ruptus & putris adeò; qui nõ indigeat concoctione,& præparatione; vt excernatur. ob id Gal. cum cap.9. lib.11. de methodo medendi scripsisset ita; expellenda, quæ putruerunt per vrinas,& aluum, & sudorem sunt. subdit cap. 10. eiusdem libri. Vbi autem quæ obstruunt; detersa, dissectaque sunt; per aluum, vrinas,& sudorem ea vacuare tentandum. est autem duplex concoctio; altera quæ refertur ad expulsionem solam; quia quæ concocta sunt; expelluntur facilius, quàm cruda; quæ ad reductionem refertur, altera: quum scilicet humor, qui corrumpi incipiebat; ad sui naturalem,& pristinam bonitatem reducitur: quam rem egregie exponit Gal.commen. 17.in lib.2. aphorismorum exẽplo vini acescentis. posteriori hac concoctione humores semimali,& semiputres concoqui possunt; omnino putres non possunt. colligitur id ex Gal. qui in illo nono cap.libri vndecimi de methodo medendi ita scribit. nunc, cum in viuente corpore putredo concipitur; quod tùm alterare potest; tum concoquere; tum vtile reddere quidquid putrescentium veluti semiputrescens, semimalumque est; vtique facultatem eius, qua naturaliter concoquit, excitans; firmansque quæ putrescentia sunt; sanabis. quid vero est humorem semimalum reddere vtilem; nisi illum ad pristinam suæ naturæ bonitatem,& congruentiam reducere? Hæc est summa curationis febrium putridarum è Galeni fontibus fidelissime excerpta. Idem Gal.lib.1. de differen. febrium cap.4. fontes edocens, in quos respicere Medicus debet; vt pestilentem febrem percuret; eadem fermè repetit: solum addit putredinem vrgere maxime in pestilenti febre; quod est verissimum. illius verba hæc sunt. Erãt autem eorum summa, vt ostendit idem Hippoc. ipsa putrefactio: quod cũ nos præuidissemus; statim ab initio quæcunq; corpora humida

mida

mida videbamus; omni via exiccare conabamur: quæ vero ficciora; in ijs antiquum habitum consetuabamus: at in quibus superfluitates redundabant; hæc purgationibus sanabamus: obstructiones autem foraminum aperire, atque abstergere studebamus. idem paulopost; est igitur (inquit) & quæ præcustodia dicitur, curatio quodammodo: sed ipsa videlicet nomina apud Medicos sæpius confunduntur. sicut enim in altero libro est à nobis ostensum; omne Medici opus est, errorum, qui circa humanum corpus eueniunt; correctiuum: sed nihil ista subtilitate sermonis hoc in loco indigemus: siue enim in duo nomina diuidas totũ; curationem, & præcustodiam: siue ambo in vnum colligas, curationem nominans; nõ paruam coniecturam affert eorum dispositio; qui à pestilentibus atque in populum grassantibus morbis affici prohibentur. quòd non æque omnes ab eiusmodi causa patiantur: vna siquidem ac prima est in omnibus communis intentio; quòd corpus quàm maxime superfluitatibus vacet, atque optime spiret: secundo loco post hoc; vt præpotenti causæ, quoad eius fieri potest, aduersetur; at quibus eorum contraria insunt, celerrime capiuntur; ac quàm maxime laborant. hactenus Gal. qui ex his duabus rationibus præcauendi pestilẽtem; &(quod idem est) malignam febrem; secundæ tantum meminit lib. 2. in primum epidem. commen. 7. cum igitur putredo maxime vrgeat in pestilenti, & maligna febre; hæcque refrigerantia postulet, & exiccantia; consequens est, munus maxime esse Medici in curãda maligna febre, refrigerare, & exiccare. exiccatio, quæ fit per solas qualitates, est admodũ exigua; vacuationibus igitur studendum præcipue est in maligna febre; quę vim habent exiccandi potentiorem multo, & efficaciorem; idque eò magis faciendum; quòd Gal. scripsit,

psit, plurimum conducere ad pestilentem febrem prçcauẽdam si corpus excrementis, & superfluitatibus vacet. quæ enim ad præcauendum valent; eadem ad curandum quoque idonea sunt, & accommodata. His indicationibus addere possumus aliam; quæ sumitur à putridis halitibus in principes partes, v.g. cor, & caput irruentibus; quæ & ipsa putredinis inhibitio est quædam. non enim concoctione solum; & per contraria, hoc est per refrigerantia, & exiccantia putredo inhibetur. sed reuulsione etiam; & correctione halituum, quos mittit, putredinis scilicet seminario tum inde auocato & distracto; vbi magis, & maiori cũ periculo grassari putredo poterat; tum fracto, debilitatoque; ne nocentioris putredinis esse initium possit. hæc generatim & strictim de curatiuis indicationibus malignæ febris; de quibus vberius multo dicetur in tractatione singulorum præsidiorum; quæ prædictis indicationibus respondent: vbi non solum explicabitur quæ ex illis magis, quæ minus vrgeant. quatenus habenda sit ratio singularum; & quibus primum; quibus secundo sit satisfaciendum; sed etiam quæ singulis indicationibus satisfacere aut prohibeant; aut permittant; quantumque, & quomodo. Quis, & qualis exitus ex maligna febre sit expectandus; & num propositis indicationibus satisfacere cum fructu possimus, nec ne; non aliunde cognoscitur; quam ex signis communibus concoctionis, aut cruditatis; salutis, aut mortis. bonæ crisis, aut malæ crisis. de quibus prolixe Hippoc. in lib. prognost. & Gal. in libris de crisibus.

De mißione ſanguinis in febre maligna. Cap. II.



VRATIVA præſidia ex fontibus hauriuntur chyrurgico, & pharmaceutico. Ad chyrurgicum pertinent miſſio ſanguinis; ſectio ſaluatellæ; cucurbitulæ; ſcarificatio crurum; hirudines; veſcicantia; frictiones; & inunctiones. de ſanguinis miſſione tria quæri ſolent; num ea conueniat malignæ febri; quo tempore ſit ſanguis mittendus; & num apparentibus maculis cenſendum ſit præterijſſe occaſionem ſanguinis mittendi. Multa ſunt in febre maligna, quæ miſſionem ſanguinis expoſcunt; morbi magnitudo; putredo; obſtructiones; calor præter naturam; & concoctio. de morbi magnitudine ſic Hippoc.lib.4.de vict.rat.in morbis acutis tex. 19. in acutis morbis ſanguinem detrahes; ſi magnus morbus videatur; vigeatque ægrotanti ætas; & virium adſit robur: de quo Hippoc. præcepto diffuſe Gal. agit in lib.de curan.rat.per ſanguinis miſſionem cap. 9. De putredine uniuerſe Gal. pronunciauit libro primo de diff. febrium cap.4.expoſcere illam exiccantia; certum vero eſt ex philoſophorum libris alteratione parum; reſolutione, & euacuatione plurimum exiccari humana corpora; quoniã ſiccitas qualitas eſt eius naturæ; vt agendo minimum; patiendo plurimum valeat. eſtque non minus certum nullo euacuationis genere commodius depleri venas, in quibus putredo eſt; quàm ſecta vena. vaſorum depletio quantum faciat ad reſolutionem humoris putris, qui in illis continetur; nemo eſt, qui ignoret. De obſtructione egregie Gal.

cap. 10. lib. 11. de methodo medendi, ostensum (inquit) in Prioribus libris est; si ijs auxilijs, quę obstructiones eximãt, vti non vacuata prius multitudine velimus; fore; vt nõ modo nihil proficiamus; sed etiam affectum maiorem reddamus. remitti calorem, qui præter naturam est, euentatione per sectam venam quæsita; res est quæ nulla indiget probatione. Incommode naturam humores coquere; nisi præcesserit sanguinis missio; doctrina est Galeni manifestissima commen. in aphorismum 29. secundæ sectionis. scripserat Hippoc. ita. Cum morbi inchoant; si quid videtur mouendum; moue: cum vero consistunt, ac vigẽt; melius est quiescere. In quem locum scribens Gal. in morbis (inquit) exitialibus non modo quãdo sunt suo vigori vicini; sed etiam in prioribus temporibus nihil mouere oportet; recordantibus nobis, quòd deploratos non oportet attingere, sed relinquere, & morbi finem tantummodo prænunciare. Circa initia vero illorum morborum, in quibus speramus ęgrotum conualiturum, tentandum est maiora afferre remedia; de quibus Hippoc. dixit. si quid videtur mouendum, moue. sunt autem hæc, maxime quidem venæ sectio, nonnunquã vero & purgatio: quorum neutrum oportet in vigoribus adhibere. vt enim in lib. de crisib. manifestauimus, coctiones morborum tunc maxime fiunt. vt igitur hæ citius eueniant, melius est in principijs euacuare, quo minorem iã factam materiam facilius natura possit concoquere. Morbo autem consistente, cum iam natura concoxit, superfluum est euacuare; cum propter alia, tum quia vis animalis maxima ex parte eo tempore est fatigata, licet quammaxime duæ aliæ vitalis, ac naturalis, fortes persistant. hactenus Gale. quid clarius? quid apertius? in hæc omnia indicãtia credere par est Galenum respexisse; cum lib. 11. de methodo

meden-

medendi cap. 15. generatim pronunciauit: saluberrimam esse in omni putrida febre sanguinis missionem. quibus verbis nemo non intelligit malignam quoque febrem comprehendi. Qm̃ vero, vt sanguis ægro cũ fructu mittatur, nõ est satis in morbo reperiri illa, q̃ sanguinis missionẽ per se exposcunt; sed prętcrea oportet ab ęgroto omnia abesse; quę venam secari prohibẽt, considerandum sedulo est, num in homine maligne febricitante sit aliquid; quod Medicum à sanguinis missione dehortetur. Plurimorum sententia est vetari missionem sanguinis in hoc morbo à virium imbecillitate: proprium enim esse malignitatis, naturę vires in languorem pręcipites ducere: hincque fieri, vt ęger, qui nunc videtur maxime robustus; repente, & momento fere temporis viribus concidat: cuius mali tum morbus ipse per se causa esse potest; tum etiam nausea, fluxus ventris, animi deliquium; & huius generis alia, quę sunt symptomata superuenire solita malignę febri. Subdunt alij, peccare malignam febrem insigni cacochymia; hanc vero non sanguinis missione tolli oportere; sed purgatione: affirmantque ijdem constanter cum insigni cacochymia desiderari semper virium robur. vtrique tamen egregie falluntur, atque vt ad primos primùm orationem conuertam: verum quidem est, malignam febrem vires reddere imbecillas citissime prę alijs morbis; non tamen in principio morbi; neque momento temporis id facit. diuine Hippoc. aphorismo 30. secundę sectionis circa initia (inquit) & fines omnia imbecilliora: circa vigores vero fortiora. Cum item malignitas, quanta quanta est; in putredine consistat tota: putredo vero mutatio quædam sit physica; quæ vt insinuet sese de subiecto in subiectum tum præuias dispositiones, tum tractum aliquem temporis requirit; non potest febris mali-

gnitas tam cito increſcere, & perdere naturæ vires tam repente; quin illam præuertere; impedire; aut ſaltem retardare conueniētibus adhibitis auxilijs Medicus poſſit. ſunt enim auxilia Medica læſioni, quę à morbo eſt, contraria: at contrarium (inquiunt Phyſici) contrarij actionem impedit, retundit; protrahit. quanquam igitur ægroto maligne febricitanti imminet à morbi nequitia virium lapſus; non tamen ob id miſſione ſanguinis abſtinēdum; quæ vires aut retinet omnino, ne cadant; aut illarum caſum longius tardat. quiſque vero intelligit; quanti interſit in maligno, & pernicioſo morbo; temporis aliquas inducias dari. præter temporis beneficium, quod docti omnes Medici maximi faciunt; aliud eſt; quo ſanguinis miſſio viribus plurimum conducit; quum caſu prohibere omnino illas non poteſt. miſſo ſcilicet ſanguine minus cadit naturę robur; quàm ſanguine non miſſo. quod ita demonſtro. remiſſa cauſa remittitur effectus; ſanguinis miſſio remittit neceſſario malignitatem; remittit ergo virium quoque lapſum; quod opus quoddam eſt malignitatis. quòd ſi obijciat aliquis quàm minus cadunt vires ex morbi malignitatę; tam magis tum langueſcere eaſdem ex ſanguinis miſſione; proindeque penſari ſectæ venæ beneficium illius maleficio. Reſpondeo ſecus ſe rem habere: quia noxa, quæ à morbo eſt; deterior multo cenſetur ea noxa, quæ eſt à cauſa externa, & ab arte; ſi quidem cætera ſint paria. quod de febris malignitate; & de virium ex ea languore dictum eſt; ad malignæ febris ſymptomata ſuperuenientia idem transferri commutatis ſolum nominibus poteſt; piget enim inanibus repetitionibus rei pretioſiſſimæ, temporis ſcilicet iacturam facere. noſtræ ſententiæ antiquitas tota ſubſcribit. vnde enim maius periculum præcipitis virium lapſus; & ſymptomatum ſu-

perue-

peruenientiũ atrocissimorum; quàm in pestiferis febribus? at in pestiferis febribus mittit sanguinem Galenus lib. 14. de methodo medendi cap. 10. & antiquior Galeno Rufus; cuius verba recitantur, & probantur Oribasio cap. 25. libri sexti suæ synopseos; Paulo Eginetæ cap. 36. lib. 2. & Aetio cap. 94. sermonis primi tetrabibli 2. cum Grecis consentiũt Auicen. & Auerroes præcipui inter Arabes Medici. quod subnectebant alij non recte mitti sanguinem ægrotis maligne febricitantibus ob insignẽ illorum cacochymiam parum firmitatis, & soliditatis habet: tum quia verum nõ est, alienam esse à cacochymia sanguinis missionem; qua de re doctissime Alexander Massarias in libro de scopis mittendi sanguinem; tum quia falsum est in maligna febre insignem reperiri cacochymiam eo modo, quo aduersarij intelligũt: vocant enim illi cacochymiam insignem plurimorum humorum corruptelam: at iam dictum, & demonstratũ fuit; non multitudine corruptorum humorum, sed prauitate putredinis æstimari malignam febrẽ: quæ prauitas longe maior est in febre pestifera, quàm in maligna: in qua tamẽ cõcedunt illi sanguinis missionem conuenire. Thomas Erastus in epist. quadam ad Conradum Gesnerum; cum multis demonstrasset conuenire missionem sanguinis in febre; quæ est cum peste; subdit deinde: non loquor in præsentia de febre pestilente priuatim sic dicta; quæ scilicet absque peste in quibusdam nascitur. In hac sanguinem, aut nunquam mittendum esse; aut certe quàm rarissime præclare scio: oritur enim hæc ex insigni cacochymia; absque externa causa tali; qualis in peste intelligitur. humoribus ad veneni quandam naturam permutatis: & paucis interiectis vires (inquit) in talibus plerunque constare non posse, nemo sanus nescit. quæ oratio nullam ferè syllabam habet cũ

veri-

veritate congruentem. an nõ enim pestiferum virus ad veneni naturam accedit propius quàm malignum? num pauciores non intereunt ex febre maligna quàm ex pestifera? num non intereunt ob id ægri omnes; quia vires languẽt; & à morbo superantur? De tempore mittendi sanguinem omnes conueniunt. nemoque dubitat, illum esse mittendũ quamprimum: ne venæ sectio vires reperiat proximas, vt ex morbi malignitate inualidæ fiant. non igitur expectanda alui subductio per leniens medicamentum; sed statim; hoc est in declinatione primæ inuasionis mittẽdus sanguis est; clystere vel ante, vel post misso. præclare Gal. lib. 5. de methodo medendi cap. 15. extremis (inquit) morbis extrema statim remedia ex Hippoc. dogmate docet esse adhibẽda: & non expectandum, vt à paruis remedijs facto principio ad maiora gradatim progressio fiat, nisi prima profecerint: quòd mortis periculum non det inducias exigua, & incerta remedia tentandi. at in magnis morbis quod opportunius, quod efficacius, quod magis præsentaneum remedium est sanguinis missione; modo ætas, & vires consentiant? Ludouicus Mercatus audet secundò, tertiò, atq; etiam quarto missionem sanguinis repetere in febre maligna; cuius consilium nõ possum probare: quia vena sepius secta, dum natura in magnis angustijs versatur; & cum morbo pugnacissimo conflictationem habet; in manifestũ mortis periculum ægrũ adducit exhaustis spiritibus; in quibus maxime ad morbum debellandum naturæ vis posita est. illud non negauerim; nisi statim, & à primo die mitti sanguis potuerit; illum deinceps quoque mitti posse; quæcunque dies illa sit; modo verisimile appareat non ruituras breui ægrotantis vires. sunt, quibus post quartã diem; sunt, quibus post septimã labascere vires incipiũt: quæ res Medici

iudicio

iudicio relinquitur tota. quod ſcripſi. quacunq; die ſecari venam poſſe; non ex meo cerebro; ſed ex perennibus Gal. fontibus depromptum eſt. ſic enim ſcribitur cap.20. lib.de curandi ratione per ſanguinis miſſionem. quoniam ægroti quintum ſæpe diem, aut ſextum ab initio expectant; priuſquam nos ad curandum accerſant; expediet nihiloſecius quoque ſanguinem detrahere; etiam ſi huius auxilij primũ tempus ſit omiſſum: quocunque enim die mittendi ſanguinis ſcopos in laborante inueneris; in eo auxilium illud adhibeto; etiamſi vel vigeſimus is ab initio extiterit.hæc Gal. qui preterea ſequenti cap. quod eſt 21. docet eo die, quo ſanguinem mittimus, obſeruandam eſſe febris declinationem. Hinc coarguuntur vulgares quidam Medici;qui aut vniuerſim pronunciant, in die critico non eſſe mittendum ſanguinem; cum diſtinguere debuiſſent ita orationem ſuã; die critico,hoc eſt paucis horis ante diem criticum;quo labor,& anxietas magna expectatur; ob præſagium à die indice acceptum; non eſt mittendus ſanguis;neque item mittendus eſt in declinatione diei critici; ſiquidem in illa ex præteritis ſignis expectetur critica aliqua,& proficua euacuatio:aut mordicus tenent in die maioris afflictionis,hoc eſt,in declinatione diei mitioris,cũ deterior dies poſt paucas horas initium ſumpturus eſt; non eſſe ſecandam venã; non diſtinguentes num lõgiori,vel breuiori interuallo ſanguinis miſſio paroxiſmum præcedat; & num paroxiſmi exacerbatio ſit futura ſimplex,vel cum aliquo ſymptomate,qđ vires imminuendi poteſtatẽ habeat: num enim vigeſimus dies ex Hippoc.tex.3.lib.3.prognoſ.& ex Gal.lib.2.de diebus decretorijs criticus non eſt? An maculis apparentibus tuto mittatur ſanguis ægroto maligne febricitãti difficilior quæſtio eſt.Fracaſtorius lib.3.de contagione cap.5.in vni-

uer-

uersum (inquit) constare debet; cum iã sparsa contagio est; & seminaria late iam diffunduntur; nihil venæ incisionem iuuare; quinimo longe nocere magis: quoniam omnis agitatio, quæ in sanguine fit, putrefactionem valde adauget; quòd seminaria magis misceri accidat; & sinceras partes cum infectis; non aliter, quàm si in craterem aquæ; salis, aut fellis modico iniecto; si quiescat aqua, & non agitetur; minus salsa, & amara permanet: si vero agitetur; statim tota contaminatur; permistis minimis inuicem: hactenus Fracastorius. subdunt alij, secta vena humores intro ad viscera recurrere: proindeque sanguinem apparentibus maculis missum impedimento esse naturæ; quæ putrescentium humorum virus ad partes extimas transmittit. contra sentiũt plerique viri doctissimi; quorum opinio multo est probabilior: quod ita ostendo. maculis apparentibus nihil eorũ à morbo discedit; à quibus missionem sanguinis indicari, & permitti dicebamus. stultum ergo est ob id prætermittere sectionem venæ; quia maculæ apparent. hoc argumentũ eo firmius est; quòd scripsimus quinque esse illa; quæ in febre maligna missionem sanguinis exposunt; cum tamẽ multo pauciora sufficere possint: quia constans Hippoc. & Galeni doctrina est; manentibus integris tribus illis scopis; qui sunt morbi magnitudo, ætas vigens, & virium robur; tuto semper sanguinem mitti: at macularum apparitio neque magnitudinem morbi; neque ætatis florem; neque robur virium per se tollit. non tollere reliqua, quæ diximus indicare sectionem venæ in maligna febre; luce ipsa meridiana est clarius. Ad Fracastorium respondeo primum; maculas non esse materiam illam, quæ concepta malignitate putredinosam in venis, & visceribus ebullitionem facit, plurimum enim hæc duo à se inuicem differunt humor, & hu-

moris

moris halitus; proindeque non sequi; vt maculis apparentibus sparsum iam per corpus,& disseminatum sit cõtagiosum virus;quod is sali,aut felli comparat.humores maligne putres esse etiam contagiosos (siquidem proxime; aut non valde procul propinqua assidentium corpora contingat) nunquam sumus inficiati. at maculas quidquam contagij habere contra communem omnium Medicorum experientiam est : deinde non qualicunque sanguinis missione agitari admodum, conturbarique intus humores; sed ea solũ, quæ parca est:sanguine etenim sufficienter misso quiescunt magis omnia; tametsi leuiuscula agitatio præcesserit: ob id Auicen. monere volens Medicum ne phlebotomia vteretur aut nimis copiosa, aut nimis parca; ita scripsit lib. 1. fen 4.cap.20.& summopere tibi caue ne ægrum ad unam duarum perducas rerum scilicet humorum cholericorum ebullitionem; & frigidorum cruditatem. ad alterum argumentum facillimum est respondere; cur enim generalis ægroti flauities in ictero; vlceraque; scabies; cancer; elephantiasis; & similia sectionem venæ exposcant maxime; maculæ prohibeant? num Medici qui in illis morbis sanguinẽ mittunt;malum recurrere faciunt à partibus externis ad internas? in bubone ex lue venerea sanguinem non mittimus; nisi is ante ad suppurationem venerit;& dissectus fuerit:cuius consilij hanc aliqui rationem esse putant;quòd secta vena abeat in viscera gallicum virus; qui tamen mentiuntur manifeste; id enim si esset; cur bubone suppurato,& aperto vena secaretur? quid est in bubone suppurato, & aperto, quod impedire valeat eam tractionẽ quam à partibus extimis ad intimas fieri per venę sectionem isti dicunt? vera consilij ratio hæc est:parui tumores euanescunt facile;quia humores tenuiores naturali calore digeruntur sæpe;cũ exi-

gui & pauci ſunt: craſſiori fęce, crudiſſimaq; in affecta parte remanente: quæ ideo non facit tumorem;quia etſi vi plurimum viget; molem tamen habet minimam;ineptamque, vt ampla inguinum ſpacia diſtendat: miſſo ſanguine totum corpus vacuatur; corpore euacuato minor multo redditur fluxio, quæ ad tumorem incipientem fiebat; venæque deplentur; quæ ad inguina exonerabant ſeſe. at optandum erat, vt humoris plurimum in eam partem tranſmitteretur; quo natura graue onus digerere non valens, illius maturationem moliri cogeretur. non eſt vero idem fluxionem, quę ad aliquam partem fit, minorem reddere: quod tractionem ex ea facere. Caput pituita expurgatum deſinit deſtillationem tranſmittere in thoracem; è quo tamen nihil trahit. quod igitur dicebant, secta vena humores à partibus externis, & ab habitu corporis ad viſcera recurrere; cum veritate minime conſentit: de qua tamen quæſtione vberius agetur in capite de cucurbitulis. quod ijdem affirmabant maculas opus quoddam eſſe naturę, malignum putredinis virus ad habitum corporis tranſmittentis mēdacium eſt audaciſſimum; cum certum ſit peticulas in maligna febre ſymptomatice magna ex parte, raro critice apparere.

De ſectione ſaluatellæ in maligna febre. Cap. III.



ESSE mittendum ſanguinem in febre maligna; ſi vires permittant; iam eſt demonſtratum. at ſæpe vires firmæ ſatis non ſunt: quid tum igitur agendum? Gal. lib. 4. metho. cap. 6. pro ijs, qui nondum ægrotant; ac tantum parati ſunt ægrotare; ſex enumerat; quæ vicem gerere

poſſunt

possunt sectionis venæ; ea vero sunt cibi parcitas; inedia; soluta aluus; purgatio; frequentius balneum exercitatio; & multa frictio. quæ certum est non euentatione, non refrigeratione, non putredinis inhibitione æquipollere sectioni venæ; sed euacuatione sola; at maximum beneficium, quod ex secta vena febricitantes recipiunt; in euentando, refrigerando, putredine inhibenda potissimum consistit; non in euacuando. lib. 4. de sanitate tuenda cap. 4. & 10. & sectio. 2. aphorismorum commen. 17. subrogatur missioni sanguinis talorum scarificatio; libro autem 13. de methodo meden. cap. 5. scarificatio crurum: de quo præsidio mox lib. de curandi ratione per sanguinis missionem cap. 12. 16. & 21. pro ægroto, qui aut vires habeat imbecilliores; aut cruditatum copia toto corpore abundet, missionem sanguinis Gal. consulit non confertim, & copiose, sed parce, & partite factam; hoc est secundo, aut tertio, aut etiam quarto reiteratam. nos etenim præcedenti capite per sanguinis missionẽ, quẽadmodum & Gal. sufficientem, & satis copiosam sanguinis profusionem ex secta in cubito aut basilica, aut media, aut cephalica intelleximus; non eam, quæ parce, & partite fit. quin sanguinis missio absolute & simpliciter dicta ex sola basilica fit, ramo venæ cauæ amplo, & magno; quam Hippoc. Gal. & antiqui Medici nunc axillarem, nunc internam vocant. basilicæ subrogantur cephalica, & media tanquam sociæ, & contiguæ; ex quibus tribus si nulla in cubito appareat; cuilibet illarum subrogatur commode vna aliqua ex ijs venis, quæ inferiores sunt cubiti iunctura, & in vlna existunt: vt scribit Gal. in lib. de curandi ratione per sanguinis missionem cap. 16. atque in hunc sensum Ludouici Mercati sententiam improbauimus antecedenti capite; qui repetebat in febre maligna sanguinis missionem: hoc est edu-

ctionem vberè & copiosam sanguinis ex vena cubiti. quòd si petas quantum temporis Galenus interponeret inter primam & secundam sanguinis eductionem: respondeo illud nunc eodem die, nunc sequenti, nunc postridie sanguinis missionem reiterasse; vt manifestum est ex proxime citatis locis. quænam ratio promouere Medicum debeat; vt longius, aut breuius tempus inter duas sanguinis missiones interponatur; ita declarat Gal. in libro de missione sanguinis cap. 21. iteratæ detractionis tempus, in quibus simpliciter quidem euacuare conamur; eadem die est; at in quibus reuellere, si vel duobus deinceps fiat, melius fuerit; nunquam veteres in reiteranda sanguinis missione quartum diem excessisse; apparet ex Gal. in locis citatis non obscure; ex Paulo lib. 6. cap. 40. & ex Oribasio lib. 7. collect. medic. cap. 3. manifestissime. ijdem ad eandem venam redibant; cum sanguinis missionem reiterare animus erat; non nouam semper (quod plerique hoc tempore faciunt) venam aperiebant. id colligo primum ex Galeno, qui sanguinis missi reiteratione toties nominata; nusquam tamen alterius venæ meminit, quàm primæ: deinde ex Paulo, qui lib. 6. cap. 40. ita scribit. at in quibus secunda die, aut tertia, quandoque etiam quarta repetere detractionem volumus; in his obliquius venam secare oportet; quo in brachij flexione hians non cito cicatricem recipiat. hoc ego auxilium missionem nempe sanguinis reiteratam non puto conuenire in maligna febre: quia parca sanguinis missio non euentat; neque refrigerat; sed calefacit potius, magnis in humoribus turbis excitatis; totoque sanguine commoto. hinc Gal. in ardente febre; quæ cum maligna (si spectes interna) maximã sæpe habet similitudinem; sanguinem nõ mittit nisi copiosissimum; & vsque ad animi deliquium. num vero ægroti

viribus

viribus non bene firmis; si semel mittendus sanguis est; tutius mittitur ex saluatella, quàm ex illarum aliqua, quæ in plexu brachij sunt? num item tutius ex saluatella, quàm ex illarum vna, quæ sunt in vlna infra brachj iuncturam? non desunt, qui ita se rem habere existiment his permoti argumentis. Gal. lib. 3. de anat. administrat. cap. 5. saluatellam facit sobolem earum venarum, quæ sunt in plexu brachij; & cap. 6. modum docens venam venæ non apparenti subrogandi; venis omnibus, quæ sunt in plexu brachij subrogat venas, quæ in cubito, hoc est in vlna, seu in radio sunt: cubiti vero appellatione manum quoque, & digitos intelligit: sic enim habent postrema verba illius capitis. de superficiarijs itaque venis totius cubiti adusque digitos omnia dicta sunt. sicut contra appellatione manus Galenus, & vteres totum brachium sæpissime intellexerunt; vt ostendit Ioannes Manardus lib. 13. epist. 3. si igitur demonstratum fuerit saluatellam infirmare minus vires quàm basilicam, aut humerariam, aut mediam; commodissime saluatella, cũ vires sunt languidiusculæ, secabitur in maligna febre loco illarum venarum, quæ in plexu, & iunctura brachij reperiũtur. illud ita ostendunt. quo vena maior est, & cordi vicinior; eò plures fundit spiritus: pauciores ergo spiritus dissipabuntur sanguine per saluatellam misso; quàm si per iecorariam, aut per aliã ex ijs, quæ sunt in plexu brachij missus fuisset. Addunt ijdem sectam saluatellam facere maiorem reuulsionem à corde, & capite tum ob adhibitum balneum; tum ob venæ locum à corde & capite longinquiorẽ. sunt qui dicant manus peculiari quadam vi reuellere à visceribus non solum ob longinquitatem; sed ob alias quoq; causas: etenim motus manuum est frequentior, quàm aliarum partium: quòd manus instrumentum sit totius corporis. si-

ris. ſicut mens animi inſtrumentum eſt; vt ſcribit Ariſt. 30. ſect. problem. q. 4. motus eſt caloris cauſa; calor attrahit; attractio ad reuulſionem facit maxime. Manus præterea videntur eſſe veluti emunctoria; in quæ facile demandant viſcera quidquid vitioſum habent: & ſanè hepatis, & cordis calidam intemperiem citiſſime ex manuū vola cognoſcunt Medici, nulli alteri membro calore illo ita apparenter communicato; vt manibus ſcabiem ex hepatis calore immodico ortam omnium primæ experiuntur manus; eædemque omnium poſtremæ à ſcabie ſanantur. quin præter viſcera caput quoque cum manibus conſenſum maximum habet: nam ſenſus exquiſitiſſimus in manu eſt; ſenſus autem omnis à capite. neruis læſis, qui in manu ſunt, facillime fiunt conuulſiones; at neruorum origo eſt caput. Ventriculi vomitum compeſcunt optime remedia manibus adhibita; at ventriculus eſt membranoſus, & nerueus totus: conſtatq; illa quæ conſenſum maiorem inuicem habent; ex ſe mutuo facilius recipere & attrahere omnia; quàm reliqua minus conſentientia. Contra primum argumentum adducunt Medici aliqui has obiectiones. prima. Non eſt verum eſſe ſemper ineundum Medico conſilium; ne vires ægri magis debilitentur. Gal. lib. 1. acutorum commen. 44. ſi morbus (inquit) non eſſet; liceret ægros, vt ſanos alere; idcircoque Medicus eo vtitur victu; qui vires parum debiliores redditas ad morbi ſtatum valeat perducere: quod idē non obſcure repetitur lib. 1. aphor. commen. 40. quæ obiectio nullius momenti eſt; quia ſupponitur in quæſtione vires ægri eſſe per ſe imbecillas; taleſque vt eas reddere debiliores nō ſit opus. ſecunda obiectio. non eſt verum ſanguinis miſſione per venam ſaluatellam ſpiritus exhauriri minus, quàm ſi per vnam aliquam ex ijs venis, quæ in plexu brachij ſunt;

ſan-

ſanguis mitteretur; etenim ſanguis vbi vbi ſit per venas fuſus; æque ſpiritus habet permiſtos; quòd ſpiritus non ſolũ æque, ac ſanguis ſed facilius etiam per venas omnes diffundatur; proindeque nullam eſſe rationem; cur ad eandem quantitatem ſanguinis hauſtam, cum vbique ſint; & æque abunde confluant ſpiritus; plures euacuentur ſciſſa vna vena quàm altera. addunt iidem ſecta vena ſaluatella diutius durare ſanguinis effuſionem; quàm ſi vena aliqua ex maioribus ſecta fuiſſet; hincque fieri, vt maior fiat ſpirituum effuſio, & diſſipatio: eſſe enim ſpiritus tenui admodum ſubſtantia; proindeque quanquam venæ anguſtia ſanguinem impedit, qui ſubſtantia eſt craſsiori; quominus confertim effluat; eam tamen non impedire ſpiritus, quominus è vena confertim proſiliant: vtuntur vero ad id præclara ſimilitudine: quemadmodum (inquiunt) ſanguine melancholico, & craſſo peccante; ſi exigua vena ſecetur; aut ampla quidem vena ſed anguſta ſciſsione, & paruo foramine facto æger læditur; quia antequàm craſſus ſanguis educatur; plus profluit ſanguinis tenuioris, qui non deberet euacuari; quàm efflueret ex amplo foramine; & ratio eſt, quia parua ſciſſura reſiſtit ſanguini craſſo; minime autem tenui: pari ratione cum tenuior ſit vena ſaluatella, quàm vena cubiti; ſerius ſanguinis fluxum admittit: ſpiritibus autem, quòd fluxiles ſint, nihil reſiſtit; quamobrem plures euacuari neceſſe eſt. tertia obiectio. per fotum aquæ calidæ aliqualis fit ſpirituum exolutio; ſanguis igitur ex ſaluatella miſſus exhaurit ſpiritus copioſius; & magis debilitat ægrotum; quàm ſi ex vena cubiti miſſus fuiſſet. quarta obiectio. ſi vlla ratio eſt, cur ſanguis miſſus è vena cubiti plures diſsipet ſpiritus, quàm ſi è vena ſaluatella mitteretur; ea eſt profectò; quòd vena cubiti ſit maius vas; & vena ſaluatella minus: atqui

hæc ratio nulla eſt; quod probant hac ſimilitudine. Duo ſint vini dolia; quorum alterum decuplo excedat alterum; eadem terebra vtrique ſi fuerit adacta; eandem vini quantitatem æquali temporis ſpacio fundent; quandiu minus vas vinum continebit: ergo cum tandiu contineantur ſpiritus in vena ſummæ manus; quandiu ſanguis fluit: æqualem æquali temporis ſpacio ſpirituum euacuationem fieri eſt neceſſe: ſiquidem vtraque vena ęquali foramine, & ſciſſione aperta fuerit. hæc illi contra primum argumentum. Contra ſecundum argumentum ita ratiocinantur: febris putridæ generatio ſic habet. primum fit fluxio, aut attractio, aut congeſtio humoris; deinde fit obſtructio; obſtructioni ſuccedit putredo; putredini febris: reuulſio debetur fluxioni dum fit; non cum ea facta eſt; non igitur putridis febribus reuulſionis auxilium conuenire poteſt; cum illæ longo poſt interuallo fientem fluxionem ſequantur: at fluxioni iam factæ deriuatio, & euacuatio medentur; non reuulſio. Adducunt ijdem pro ſe Galenum in lib. 11. de methodo medendi duos tantum ſanandæ putredinis vniuerſales ſcopos ponentem; vacuationem, & concoctionem: nã ſi humores (inquit Gal.) eo corruptionis peruenerint; vt corrigi nullo pacto queant; vacuatione opus habent; quòd ſi corrigi, & emendari valeant; concoctione indigent; neq; illic, aut alibi facta eſt vlla mentio à Gal. aut fluentis humoris, aut reuulſionis in febribus. ijdem Medici argumentis aduerſariorum refutatis, illorum opinionem ſic oppugnãt. non uenæ amplitudo, aut paruitas; ſed paruitas & amplitudo foraminis efficit; ut per ſectam qualemcunq; uenam plures aut pauciores ſpiritus diſſipentur: cum igitur conſtet cubiti uenas habere maiorem rectitudinem cum principibus membris, in quibus continuæ febris origo, putredo, & feruor

feruor est; quàm uenam saluatellam; cur non secare unam ex illis paruo,& angusto facto foramine; saluatellamque di mittere? Deinde. vena saluatella non potest secari,nisi facto fotu aquæ calidæ; at Hippoc.& Gal.damnarunt balnei vsum; præsertim cum illud ad particularem partem refertur; corpore ante toto non optime expurgato. Subdunt. longiori tempore affligere ægrotum illos, qui saluatellam secare iubent; quàm qui cubiti venam saluatellæ præferũt; hactenus illi, qui possent etiam citare pro se Galenum; qui in lib.de curandi ratione per sanguinis missionem cap.14. ita scribit. ex venis, quæ ad magnos oculorum angulos cõspiciuntur;aut sub lingua;quod certe mentione dignum sit effluere non solet; sicut nec si quis summa in manu,aut pede venam secet: quemadmodum putant,qui lienem curari aiunt à venæ ad secundum paruum digitum sitæ sectione; de qua deinceps fusius differetur. hæc Gal. at quorsum ex saluatella sanguinem mittere,si quod effatu dignum sit,ex illa non effluit? & cum nullus humor febrem faciens fluat? expẽdamus nos istorum obiectiones omnes; atque in cipientes à prima examinemus diligenter quænam illa sint, in quibus ægroti aut cuiusuis alterius hominis vires consistunt.Gal. videtur hac in re esse admodum varius nam lib. 11.metho.cap.1.& 3.in spiritu in partibus solidis;& in genere carnoso vires consistere scribit; idem lib.de plenitudi ne cap.10. scribit robur solum consistere in bona nutritione solidorum.carnem vero,humores,& adipem cum augẽtur; augere pondus non robur. lib. autem 12. de methodo meden.cap.5. scribit essentiam viriũ consistere tum in spiritu; tum in solidarum partium temperamento; prætermisso carnoso genere.sed hæ contrarietates facili negotio conciliari possunt. lib.12. metho. cap.5. prætermissum est car-

M nosum

nosum genus; quoniam illa solum recensere animus Gal. fuit; in quibus vires potissimum consistunt; qualia sunt illa duo; tenet enim postremum locũ in viribus carnosum genus.lib.de plenitudine illud solum carnosum genus intelligit, quod præter naturam est auctum; quale videre est in illis, qui præ ventris mole, incedere vix possunt; sunt enim spiritus & solidæ partes absolute & simpliciter complentia hominis vires; at carnosum genus non simpliciter, sed ad certum vsque terminum dumtaxat. ibidem nominantur so lidæ partes solæ; quia impossibile est solidas partes bene nu triri; spiritu non bene se habẽte; vitali præsertim; cuius mu nus est fouere, suscitare, & perficere cunctas naturæ humanæ actiones; hinc Gal. facile potuit appellatione bonæ nutritionis partium solidarum, spiritum quoque intelligere. misso vndecunque sanguine imminui æqualiter solidarum partium & carenosi generis nutritionem; si sanguis consideretur quatenus alimentum est; tam est certum, quàm quod certissimum. quæstioq; quantum ad rem præsentem spectat de spiritu est tota. spiritus vt monstratum est in arte Medica est tantum duplex, vitalis, & animalis; at vitalis per arterias, animalis per neruos, neuter per venas copiose admodum discurrit; naturalem quem venis attribuunt aliqui, Medici omnes docti explodunt; in sanguinis missionẽ vitalem spiritum esse præcipue attendendũ constat ex Gal. tum cap. 12. & 13. libelli de sanguinis missione vbi manu pulsum tenere iubet, dum sanguis mittitur; vt vitalis facultatis constitutio, & illius robur exploretur; tum ex lib. 5. de loc. affectis in initio; vbi scribitur ad immodicas cordis intemperantias mortem semper sequi, quoniam corde vitiato, reliquæ partes omnes vitiantur; cerebri autem atque iecinoris tẽperie, deperdita nõ oportere simul cordis actionem

nem perire; quanti autem referat ad cordis temperiem vel intemperiem quales & cuiusmodi sint vitales spiritus; nemini notum non est. at dicet aliquis; qui fieri potest vt misso sanguine fiat deperditio vitaliũ spirituum; cum in venis vnde sanguis fluit; pauci sint spiritus tales? Respondeo ex Galeno lib. 11. metho. cap. 3. conseruari spiritum, in quo robur consistit (intelligit autem vitalem) respiratione; transpiratione; & qui ex sanguine attollitur vapore; quasi diceret aeratione, & sanguinis attenuatione, vel in halitum solutione; ac tametsi id de illo potissimum sanguine intelligatur; qui in arterijs est admodum spirituosus; mihi tamen certissimum est de eo quoque sanguine intelligi; qui in venis continetur; cuius vapore fouetur, recreatur, atque euentatur non parum subiectæ arteriæ spiritus. vaporeque eo aut sublato, aut magna ex parte imminuto, necessarium est spiritum arterialem opprimi, & veluti suffocari carnis venę, & crassioris sanguinis mole; quę illi superponuntur. cõtineri vitalem spiritum non solum in arterijs; sed etiam in venis; colligitur ex Galeno manifestissime lib. de vsu par. 6. cap. 16. non igitur solum quæri debet vtra ex vena plures spiritus exhauriantur; sed etiam vtrius venæ sanguis tenuior sit, & vaporosior. at certum est è venis cubiti effluere sanguinem calidiorem, tenuiorem, & magis halituosum & plures spiritus continentem quàm ex vena saluatella; quoniam vasa maiora sunt; aptioraque proinde, vt halituosum sanguinem & spiritum contineant. effugiunt enim halitus & halituosa omnia angustum locum; & in spacio maiori magis luxuriant; eadem uasa sunt hepati, & cordi uiciniora, quàm uena saluatella; cor, & hepar fons sunt caloris; cũctaque in homine quo absunt longius à corde, quod est uiscus adeo calidum, ut uideatur exurere tangentis manum

M 2 sicut

ſicut alibi Gal. ſcripſit; eo minus poſſident caloris; ſanguis igitur è uenis cubiti miſſus eſt feruidior,& ſpirituoſior,q̃ is qui mittitur ex uena ſaluatella; hinc Gal.de ſang.miſſ.c. 18. iſchiadi p̄p copiam ſanguinis genitæ dicit magis iuuare ſectã uenam poplitis quam malleolorum his accedit tertia ratio. concoctione craſſeſcunt omnia magis; ſanguis quo eſt in minoribus uaſis eo craſſior, & concoctior eſt; adeo ut qui eſt in oſculis capillarium uenarum conſiſtentem iã naturam habeat; quòd eo proxime ſint nutriendæ ſolidæ partes. at ſaluatella eſt anguſta admodum præ uenis cubiti ergo &c. ex dictis patet reſponſio ad omnes obiectiones contra primum argumentum factas; in quibus notabis pleraque pro ueris accipi, quæ falſiſſima ſunt; nam neque ſpiritus multi ſunt in uenis à ſanguine diſtincti; neque ſanguis e uena ſaluatella miſſus retinet calorẽ tantum quantum in maiorib. uenis continebat; ut quanquam idẽ ſit ſanguis qui effluit; non tamen ſit idem calor, qui deperditur; refriguit enim in uia ſanguis, cum ad uenam ſaluatellam accurreret; neque fotus tepidæ ſpiritus exoluit, multo minus exoluet ſanguinem, qui maiorem cum tepente aqua, quàm cum frigido aere affinitatem habet. ex his ratio facile redditur, cur ſectio ſaluatellæ lienoſos plurimum iuuet. cũ enim qui ſanguis in uena ſaluatella cõtinetur, craſſior ſit; illo fluere poſt ſectionem incipiente; pergit ex alijs quoque uaſis craſſior & frigidior ſanguis effluere; quia rem unamquanque facilius ſequitur quod illius ſimile eſt, quàm illud, quod eſt illius diſſimile; ut exempla non pauca demonſtrant. quæ adducunt contra ſecundum argumentum nullius momenti ſunt; medemur enim febribus partim curando, partim præcauendo; quia febres reditus ſuos & repetitiones habent ab humore putri excitatas; qui in præcedenti paroxiſmo

non-

nondum putruerat; at quis negabit præcautionis remediũ esse reuulsionem? quis inficiabitur maioris esse negotij futuram febrem præcauere,& inhibere,quàm præsentem tollere? euacuatio igitur putredinis iam factæ,remedium est; fientis putredinis remedium concoctio. humoris qui solũ potest augere obstructionem, putredinis causam reuulsio remedium est. hinc Gal.lib. 11. de methodo medendi cap. 10.duplicem ex obstructione indicationem in putridis febribus curandis nobis proponens; alteram ex eo quod factum est obstructionis; ex eo quod futurum est obstructionis desumpsit alteram; subditque hæc præcise; inhibetur autem quod futurum est; si affluxum obstruentium humorum compescas. quid clarius, quid apertius? & lib. 2. de diff.febrium cap. 18. unam ex causis,cur febres intermittẽtes repetant,scribit esse hanc,quòd aliquæ partes alijs trãsmittunt fluxiones. cur autem quod in febre intermittente contingit; in febre etiam continua quæ suas exacerbationes repetit non possit contingere? reliquum est ut quæ illi per se contra saluatellæ sectionem obijciunt,expendamus. ad primum respõdeo scripsisse nos alias in nostra arte Medica hæc; ut crassus aut tenuis sanguis educatur; non tam uenæ quàm scissionis tenuitas uel amplitudo facit. in qua oratione non uenam uenæ comparauimus; sed crassum & tenuem sanguinem cum una eademque uena contulimus; ita ut nostrorum uerborum hic sit sensus; ut ex aliqua uena crassus aut tenuis sanguis educatur. non tam facit uenæ amplitudo uel paruitas; quam scissio parua uel ampla;fuitque nobis tunc consilium monere Medicum; si quidem opus habeat æger missione sanguinis aut crassioris aut tenuioris ex aliqua uena; ne fidat soli amplitudini uel paruitati uenæ; sed uena conuenienti iam inuenta multo magis sol-

licitus

licitus sit de foramine, uel ampliori, uel minus amplo. quoniam vt ex eadem vena sanguis profluat aut crassior, aut minus crassus non tam venæ quàm scissionis tenuitas, vel amplitudo facit. quòd si vena venæ comparetur. falsa iam comparatio est, vt superius fuit demonstratum. Ad secundum respondeo fotum calidæ qui secanda saluatella fit, administrari circa partem & ignobilem, & à visceribus longinquam; esseque exiguum adeo vt balnei nomen minime mereatur; Hippoc. lib. 2. de victus ratione in morbis acutis textu primo, secundo, & sequen. an non vtitur fomentis supra dolentem partem in pleuritide? vter vero fotus est periculosior is qui circa pectus, aut is qui circa extremum brachium administratur? Ad locum Gal. quod spectat, qui est cap. 14. libelli de curandi ratione per sanguinis missionem audacter dico Galenum de ea saluatellæ, & saphenæ sectione loqui; quæ citra tepidæ fotum administratur. at si fotus adhibeatur, quis dubitat non plurimum modo, sed etiam totum sanguinem per eas venas effluere posse? atque hæc de præsenti capite.

De scarificatione crurum. Cap. IIII.



SVBROGARI commode sectioni venæ scarificationẽ talorũ trib. præcipue locis Gal. scripsit quos cap. superiori adduximus; idem auctor & lib. de sanguinis missione cap. 11. meminit scarificationis crurum. quæritur igitur num idem sit scarificare crura quod talos scarificare; num crurum scarificatio per se & absolute debeat subrogari sectioni venæ; an cum aliqua distinctione; &

ne; & quis deniq; ac quotuplex sit vsus scarificationis crurum. in prima quæstione Alexander Massarias anceps admodum, & dubius est; quòd certum sit talos rem esse diuersã à crure; at cũ idẽ Massarias non possit inficiari ex talis vt pote parte excarni non posse per scarificationẽ mitti sanguinẽ nisi paucissimum, & cum periculo lęsionis neruorum, cũ altera ex parte Gal. apte meminerit scarificationis crurum præsidij longe maioris & efficacioris; quàm scarificatio talorum sit; idemque vbi de remedio sectionis venæ vicario sermonem habuit; scarificationis talorum meminerit scarificationis crurum nulla facta mentione; cuinam uenire in animum non potest Galenum, (nisi is sectioni venæ subrogasse dicatur quod minimum sectæ venæ æquiualens est; stulte prætermisso remedio illo, quod ad venæ sectionem longe magis accedit) per scarificationem talorum scarificationem crurum intellexisse? neque vero res est à ratione valde aliena talorum appellatione crura intelligere; apud Gal. & veteres Medicos maxime; cum is lib. 2. in opus Hippoc. de fracturis commen. *66.* aperte scribat sæpe cubitum, aut primam palmæ partem ad totum brachium significandum vsurpari; talorumque nomen pro toto crure accipi. De secunda quæstione sic statuunt aliqui excellen. Medici scarificationem crurum conuenire potissimum illis, in quibus redundantia prouenit à materia, quæ antea per hęmorrhoidas vterum, aut alium locum vacuari cõsueuerat; post hos illis solum, quæ habitu sunt candidiore; sanguinemque non crassum, & melancholicum, sed tenuem habent; illud constare dicunt ex Galeni lectione. ex qua tamen contrarium prorsus constare mihi videtur; nam Galeni verba libro quarto de tuenda valetud. cap. 4. hæc sunt; cum sanguinis copia aut vena incidenda, aut aliquid quod tantundem

valet;

valet; agendum: ſane tantundem poſſunt hæc. quibus hæmorrhoides ſunt retentæ, ſi has emiſeris; ſi mulieri menſtrua conſuetudo ceſſauit, hanc prouoces: ſi quibus horum nihil eſt, ſi malleolos ſcalpello incidas; hactenus Gal. an nõ vero contradicentia hæc ſunt, non ſcarificari talos præcipue niſi illis in quibus redundantia prouenit à materia, quæ antea per hæmorroidas, vterum, aut alium locum vacuari conſueuerat; & illis loco ſectionis venæ eſſe talos ſcarificandos quibus nulla occaſio eſt, aut retentarum hæmorrhoidum. aut retentorum menſium, vt hæc propterea prouocare oporteat? alterum vero probant ex cap. 11. lib. de ſang. miſſione vbi ſtatuitur in candidioribus malleolorum ſcarificationem, in nigrioribus venæ ſectionem magis congruentem eſſe. quòd illæ ſanguinem magis tenuem ſoleãt coaceruare; hæ vero craſſiorem, & magis melancholicum ſanguinem congregent. Verum neque hoc bene colligunt ex Galeni oratione. ſenſus enim quæſtionis erat; num poſito venam ęgroto non poſſe ſecari, poſſint illius crura citra diſtinctionem omnem ſcarificari; at Gal. de crurum ſcarificatione loquitur comparata cum ſectione venæ; alieniſſimus vt conſtat ab illa ſuppoſitione; vt enim diſſereret cui vena ſecari cui crura ſcarificari debeant; ſi ſuppoſuiſſet venam non poſſe ſecari? Galeni conſilium eo capite eſt docere modos chyrurgicos prouocandi retentos menſes; quos dicit eſſe duos vnum per inciſionem venæ vel in poplitibus, vel in malleolis; per crurum ſcarificationem alterum; pergitque diſtinguere, & docere, in quibus hic in quibus ille ſuppreſſos menſes prouocãdi modus potior ſit; in nigrioribus (inquit) præſtat ſecare venam, quòd ſanguinem craſſum, & melancholicum habeant; ratio eſt quia ſanguis quo craſsior eſt, eo debet habere ſpacia ampliora ꝑ quæ exeat,

& per

& per quæ ducatur foras; at certum eſt hoc nomine præſta re talorum & poplitis venam crurum venulis, quæ per ſcarificationem inciduntur (hinc ſubdit Gal.) eò magis id verum eſt, ſi quæ habitu ſunt nigriori magnas quoque habere venas appareant; vt plerunque habere ſolent; cum contra carnoſis mulieribus & candidis paruæ inſint venæ; quibus malleolos ſcarificare, quàm uenam ſecare præſtiterit: quippe quum hæ paruas in cruribus uenas habeant; itaq; etiam ſi probe ſecentur, quod iuſtum tamen ſit, non profluat. hactenus Gal. de tertia quæſtione ſic cenſeo; omnem ſcarificationem eſſe optimum reuellendi ab hypochōdrijs, à uiſceribus, à capite & ab oppoſita parte auxilium. ratio eſt, quia nō ſcarificantur niſi carnoſæ partes, in quibus multi ſunt implexus, & copioſa ſoboles anguſtiorum uenarum; at partes huiuſmodi ſunt etiam ignobiles & imbecillę neceſſario; paratioresq́ue ob id ad recipiendum humorem, qui ex alijs partibus per reuulſionem arte quæſitam confluere ad illas incœpit. ut colligitur ex Gal. manifeſtiſsime lib. 3. de nat. fac. cap. 13. lib. 6. de tuenda ualet. cap. 13. & lib. 11. metho. cap. 20. hinc idem Gal. lib. 13. metho. cap. 5. manu (inquit) laborante ſcarificamus crura, cruribus fluxione tē tatis ſcarificamus brachia; hæc uero certum eſt non referri niſi ad reuulſionem. cum autem ſcarificatio omnis non ſolum reuulſorium, ſed etiam euacuatorium præſidium ſit. aptumq́ue minuere potius corporis plenitudinem. mordicus teneo crurum ſcarificationem utroque nomine præſta re brachijs, & quibuſuis alijs partibus ſcarificatis; ſi cætera ſint paria, v. g. ſi inciſiones ſint æqualiter profundæ, amplæ, & longæ; tū propter implexiſſimas & numeroſiſſimas venas in cruribus repertas quæ ſub carne latent, de quibus docte Veſalius li. 3. cap. 10. & Valuerdus lib. 6. cap. itē 10.

N tum

tum propter ſanguinis lubricum ad inferiora decurſum; ſequenti cap.in reſponſione ad primam quæſtionem docebitur,quatenus per crurum ſcarificationem euentetur ſanguis;quantum conferat ſcarificatio crurum in febre non ſolum maligna,ſed etiam peſtilenti conſtat ex ijs quæ Apollonius de ſe ipſo ſcribit,cum peſtis periculum vitauit referente Oribaſio lib.7.collect.cap.20.

De cucurbitulis ſcarificatis. Cap. V.

DE ſcarificatis cucurbitulis hæc quæruntur. Primum,num illę poſſint vicem ſupplere ſectionis venæ. Secundum,num poſſint ætate grandioribus applicari corpore ante non vacuato per ſectionem venæ, aut expurgato. Tertium, num quando poſt ſectionem venæ ſecunda vice eſt minuendus ſanguis,commodius applicantur cucurbitulæ ſcarificatæ, quàm iteratur venæ ſectio,aut quidpiam aliud fit quod ſit vicarium ſectionis venæ. Quartum,num in febribus putridis præſtat cucurbitulas ſcarificatas dorſo applicare, quàm cruribus & infernis partibus. Quintum,cur crura ſcarificata largius & copioſius profundunt ſanguinem citra cucurbitulas, quàm cum cucurbitulis. hæ omnes quæſtiones examinãdæ diligenter ſunt,atque exponendæ; ſed ante diſſerendum paucis eſt de ijs quæ præſtant tum cucurbitulæ ipſæ per ſe; tum etiam ſcarificatæ; cucurbitula remedium eſt haud dubie attractoriũ,de qua ſcribens Hip.in lib.περὶ ιητρυ ſeu de Medico docet cum humor attrahendus ad cutim internæ parti profundæ impactus,& infarctus eſt,cucurbitulam eſſe debere oblongam; non ventricoſam leuem osque paruum habentẽ;

at cum

at cum humor cutaneæ parti inhærescens, & varijs in locis dispersus vnum in locum est contrahendus, ad eumque attrahendus totus, docet cucurbitulam esse debere leuē quidem, non ventricosam, & oblongam, sed habentem os magnum & amplum; dictis suis addit Hippoc. rationes quas legere apud illum poteris; attrahunt igitur cucurbitulæ tum ex imo, tum etiam ex circumpositis partibus, quæ & ipsæ cutaneæ sunt. idem Hippoc. lib. 4. epidem. scribit quēdam in coxa vehementem dolorem habuisse cucurbitulaque ad coxam affixa, dolorem ad crus venisse; meliusque habuisse; quo in loco notare est attractionem ex imo; sine altera ex circunstantibus partibus; effecit enim cucurbitula ex alto in cutem trahendo, digerendoque materiam vt ex articulo iam expeditiori natura dolorē, & doloris causam deturbaret. quæ si ex circunstantibus partibus attraxisset, maioris doloris causa fuisset; deducta ad partem affectam materia. Gal. lib. 3. de loc. affec. cap. 4. scribit cucurbitulam tū trahere ex alto; tum etiam calorem excitare in extimis partibus; idem lib. 13. de methodo medendi cap. 19. cucurbitulæ tribuit vim discutiendi scribens eximi & erui per cucurbitulam illa, quæ iam in scirrum abeunt; idem lib. de hirudinibus reuulsione &c. concedit cucurbitulæ non solum attractionem ex imo, sed etiam ex partibus vicinis, ijsque pariter cutaneis; eius verba ita habent; in his quoque affectibus, (phlegmonibus nempe) dum gignuntur, non quidē membris ipsis, quæ cœperint laborare, sed eis quæ laborantibus coniuncta sunt, reuulsionis gratia cucurbitulæ sunt imponendæ; quo loco notandum est Galenum reuulsionis nomen pro deriuatione vsurpasse; si sunt igitur primarij cucurbitularum vsus trahere ex imo; trahere ex partibus coniunctis; discutere, exhaurireque tum materiam, tum inflationis,

tiones,&calorem excitare; at vſus hoſce conſequuntur alij quidam qui ſunt longe maximi; quos ſic recenſet Gal. lib. proxime citato dolorem ſoluere; phlegmonem minuere; appetentiam cibi excitare; ventriculo imbecillo vires reſti tuere; animi deliquia leuare; profundas fluxiones transfer re & reuellere; ſanguinis eruptiones prohibere &c. ex dictis videtur deduci cucurbitulam primo, & per ſe præſidiũ eſſe diſcuſſorium, deriuatorium, & vacuatorium; partis. ſ. unde attrahunt non autem reuellere niſi ſecundario.habere cucurbitulas vim reuellẽdi conſtat ex aphoriſmo 50. ſectio.5.vbi ſcribitur mulieri menſtrua cohiberi leui cucurbi tula, quammaxima, ideſt quammaximo ore ad mammas appoſita; & ex Galeno lib.5.methodi cap.3. vbi ita ſcribit; cum è naribus ſanguis erumpit; id retinent maximæ in prę cordijs defixæ cucurbitulæ; infigẽdę autem ſunt,ſi ex dextra nare profluit ſuper iecinore; ſin ex ſiniſtra ſuper liene; ſin ex vtraque nare; ſuper vtroque ſunt imponendæ viſcere. hactenus Gal.explicandum ergo quatenus cucurbitulę ſecundario reuellant, non primo. illa quæ primo & per ſe reuellunt trahunt ad propriam partem fluxionem, quæ ad partem oppoſitam fiebat;at ſi id præſtaret cucurbitula,non eſſet remedium aut diſcuſſorium,aut deriuatorium, aut vacuatorium, quoniam traheret ad locum vnde diſcuſſionẽ, vel deriuationem, vel vacuationem facit; nouam ſemper fluxionem; ſicq́ue cum beneficio faceret maleficium quoque; dicendum igitur cucurbitulam non trahere quidem ad ſe fluxionem, quæ ad contrariam & oppoſitam partem fiebat. ſed eam poſtquam ex imo, aut ex coniunctis partibus attraxit quod potuit;ſiſtere fluxionem omnem,quę circa partes illas & circa cutem propriam fiebat; ſicq́ue dum ſiſtitur humor ille; ſiſtuntur alij, qui vltra illum ſunt;& poſt

hos

hos, rurſus alij donec ceſſatio fluxionis peruenit ad oppoſitam partem; vt enim fluerent humores proxime facientes fluxionem, niſi illos alij; & hos rurſus alij conſequantur? huiuſmodi vero ſiſtendi vim poſſidet cucurbitula; quia ſuſpendendo partes illas ſubiectas, quibus applicatur; vnà ſuſpendit humores quoque in ijs repertos; eoſdemq́ue per ſuſpenſionem ſiſtit. atque hæc de vſu cucurbitularum citra ſcarificationem; ſcarificationis vſus eſt primum euacuare per cutim, quidquid cucurbitulæ ex imo, aut ex coniunctis partibus attraxerunt; deinde dolore excitato augere cucurbitularum attractionem; tertio maiorem facere reuulſionẽ ex oppoſita parte; quàm ſolæ cucurbitulæ facerent; etenim cucurbitulæ ſolæ ſuſpendunt tantum humores vicinos, qui ad oppoſitam partem per ſucceſſionem partis poſt partem tandem erant confluxuri; at ſcarificatio eoſdem præterea inuitat, addo etiam, mouet ad contrarium curſum; poſtremo denique ſcarificatio apta eſt vbicunque illa fiat, ſi diutius perſeueret, & valenter adminiſtretur, minuere plenitudinem totius corporis; tametſi hoc in munere non parum à cucurbitulis, vt mox declarabitur, impedimẽti accipiat; minui per ſcarificationẽ totius corporis plenitudinem ita oſtendo; venis quibuſcunque depletis; cõfluit ad illas ſanguis ex venis proximioribus quæ maiores ſunt; hiſque exinanitis confluit ad illas ex alijs maioribus venis alius ſanguis; atq; hæc transfuſio ſanguinis ex vno vaſe in aliud nũquam ceſſat; ſed ſemper fit maior; dum ex parte ſcarificata ſanguis effluere pergit; atqui nihil impedit ſinere quantum volumus, & quàmdiu volumus, vt ſcarificatæ partes ſanguinem profundant; poſſumus igitur ex toto corpore quantũ lubet, ſanguinis exhaurire per ſcarificationẽ; id vero quid eſt aliud omnium conſenſu Medicorum niſi plenitudinem
minue-

minuere? quę de vſu ſcarificationis notauimus; ita demũ vera erunt, ſi inciſiones profundæ ſint, & alte penetrantes; vt doctiſſime monet magnus noſter & diuinus Hippoc. in lib. de Medico. ſed tempus eſt propoſitas initio quæſtionis examinare; num igitur cucurbitulæ ſcarificatę poſſunt ſupplere vicem ſectionis venæ? ſectio venæ non vnam tantum operam præſtat; ſed plures; nam plenitudinem minuit primum deinde ſanguinem qui in corpore reſiduus eſt euẽtat, ſeu refrigerat. atque hæc euentatio refertur interdum à Galeno ad imminutam plenitudinem dumtaxat; 8. metho. cap. 4. niſi (inquit) ſuccus penitus trãſpiret, neceſſe eſt, vt putrefiat; ergo vt tranſpiret, maiore eſt opus auxilio: ac ſi quidem vel puer, vel ſenex ſit, ſanguinem detrahere non licet; inter has ætates, vbi robur ægro non deeſt, ſecãda eſt vena; & paulopoſt. quin etiam fuliginoſa, fumoſaque ſuccorum excrementa, quæ tranſpirant, ſuccis imminutis pauciora reſtabunt. quare inde quoque minor reddetur febrilis calor; ſic vt foras tranſpirare, ſi exiguæ ſint, queat. eadẽ ratio euentationis non obſcure profertur à Galeno libro 2. aphor. commen. 17. in fine his verbis. nam quod aceſcentibus vinis vſu venit; eiuſmodi quiddam in ſanguinis alteratione fieri ſolet. id vero tale exiſtit. vbi vina planè acuerunt, nõ iam ad vini naturam redire poſſunt; verum ſi tam leui momento ad id vergant; vt aceſcere quidem, ſed nõdum acetum eſſe videantur; ex ijs complura priſtinam recepiſſe naturam ſæpius ſunt viſa. ſic in ſanguine ſe res habet; nam ſi ipſius magna facta eſt corruptio, non iam ad ſui naturam redire poteſt; parum vero à ſeipſo ſi degenerauerit, vacuato ſuperuacaneo, qui reſtat ſuam recuperare poteſt naturam; hactenus Gal. ex quo alibi colligi videtur euentationem per ſectam venam referri poſſe ad motum ſanguinis;

guinis; effluxione ex vena excitatum . nam lib. 11. methodi cap. 4. hæc habet ad verbum. ostensum est, vbi morborũ causas reddidimus, illa tantum putrescere corpora; quæ cũ calida, humidaque natura sint; neque perflata, neque ventilata, in calido humidoque loco maneant; quòd si in motu sint, ventilenturque, ac perflentur, posse ea non putria, integraque seruari; potissimum quæcunque corpora sua ipsorũ natura reguntur, vt animalium, & stirpium: ea nanque (sicut in opere de facultatibus naturalibus est proditum ab initio congenitos secum motus habent ; quibus superflua excernant ; ostensum non minus & in alijs duobus libris est, quanta sit tum respirationis, tum pulsuum vtilitas ad ꝑflatum, ventilationemque corporis, atque eius natiuum calorem tuendum; hactenus Gal. at moueri sanguinem totũ in corpore postquam vena secta est, notius est, quàm probatione indigeat. Actuarius tertiam euentationis huiusmodi causam reddidit; cum scripsit lib. 3. methodi meden. cap. 19. secta vena plurimum efferuescentis spiritus & caloris febrilis effluere. His positis respondeo ad quæstionẽ cucurbitulæ scarificatæ; & crurum scarificatio in minuenda plenitudine possunt supplere vicem sectionis venæ; in euentando calore natiuo, & sanguine longe absunt à sectione venæ exceptis pueris, & habitibus corporis mollioribus. Prima pars conclusionis probata est hoc eodem capite. secundam partem ita demonstro; segnius multo mouetur sanguis per cucurbitulas scarificatas, & per crurum scarificationẽ, quàm per sectionem venæ; ergo minus etiam multo ventilatur, & perflatur idem sanguis applicitis illis præsidijs, q̃ hoc. deinde multo plus efferuescentis spiritus, & caloris qui in sanguine superfluus est, effluit secta vena, quàm administrata crurum scarificatione, aut applicitis cucurbitu-

lis sca-

tis scarificatis vt ostensum est in cap. de sectione saluatellę; ergo multo magis euentatur sanguis secta vena quàm vsu illorum præsidiorum; quòd si ita est non possunt eadē præsidia in euentando sanguine supplere vicem sectionis venę nisi admodum imperfecte; cum ex tribus euentationis causis vnam tantum habeant. illud tamen sedulo est obseruādum; sicut largius & citius effluit sanguis per crura scarificata, quàm per scarificatas cucurbitulas; ita crurum scarificationem accedere magis ad sectionem venæ in præstanda sanguinis euentatione quàm scarificatas cucurbitulas; tertia pars conclusionis per se ipsam perspicua est; infantes enim pueri, & qui habitu sunt valde molli & delicato insensibilem euaporationem quæ per cutim fit, habent cum primis magnam, & copiosam; quare eadem cute per scarificationē crurum, aut per scarificatas cucurbitulas laxiori reddita; corpus totum fit transpirabile adeò, naturalisque illa quàm patiuntur semper subiectæ dissipatio excrescit adeò, vt non indigeant alijs causis euentationis. De quæstione secunda non parua est inter auctores controuersia. quidam contendunt nullo modo in febribus cucurbitulas conuenire; existimantes eas maiorem posse concitare calorem attractionis vi; censent alij non esse applicandas cucurbitulas seu scarificatas, seu non scarificatas nisi post vacuationē totius corporis, v. g. post sectionem venæ, aut post purgationem illorumque argumenta hæc sunt; cucurbitulæ trahunt ad partem cui imponuntur, ergo in corporibus plethoricis, neque antea purgatis illarum vsus est omnino inutilis, forte etiam perniciosus. secundo inter indicationes q̄ pertinent ad curationem febris putridæ ea indicatio principem locum inter cęteras obtinet; quę demonstrat corpus esse ante omnia vacuandum, fluxum obstruentium succo-

rum

rum compeſcendum, omniaque tranſpirabilia eſſe reddenda; adeò vt niſi iſta pręcedat, vix liceat reliquis ſatiſfacere, quæ deinceps ſequuntur. ergo cucurbitulæ in febribus ante venæ ſectionem applicitæ id præſtant, quod non expedit; neque id præſtant, quod expedit. Tertio cucurbitulis nunquam vſi ſunt veteres Medici communis vacuationis gratia, ſicut ſectione venæ, & malleolorum ſcarificatione; ſed propriæ tantum, & particularis vacuationis gratia; non poſſunt igitur ſupplere vicem ſectionis venæ cum hæc totum corpus euacuet. Quarto Gale. lib. de hirud. reuul. cap. 3. ſcribit incipientes, & vigentes capitis grauitates ac dolores, in plethorico reuulſione per cucurbitulam in occipite poſitam vel ſolam, vel cum ſcarificatione iuuari, verum totum corpus antea vacuatum eſſe oportere. ergo ſententia Gale. &c. idem Gal. lib. 13. methodi cap. 19. cucurbitula inquit in occipite defixa efficax eſt remedium ad oculorum fluxiones; vacuari tamen prius totum corpus expedit, nam ſi refertum ſanguine corpus ſit; in quacunque parte capitis cucurbitam defixeris totũ ipſum implebis. idem Gal. diſerte ſcribit non tuto affigi cucurbitulam affectæ parti, v.g. quę vrgetur phlegmone, niſi corpore toto antea vacuato vt videre eſt, ex cap. 5. & ex cap. 19. ciuſdem lib. 13. de methodo meden. in contraria ſententia ſunt Cornel. Celſus libro 2. cap. 11. Rufus vt ſcribit Braſauol. 4. acut. ſectio. 35. Auic. lib. 1. fen 4. cap. 21. Nicol. Floren. in cap. 9. tract. 1. fen 3. lib. 3. Auicen. Valeriolas lib. 4. enarra. 6. Ludouicus Mercatus libro primo de indicat. Medica fol. 272. & ſequen. & alij plerique, quorũ nomina recenſere longum eſſet. hi inquam cenſent omnes per cucurbitulas ſcarificatas commode totum corpus vacuari;

cuari; proindeque eas nō inepte administrari loco sectionis venæ; tametsi nulla generalis vacuatio præcesserit; adhibet præterea Auicennas hanc distinctionem. ventosas plus extrahere sanguinem subtilem, quàm grossum; & ipsarum iuuamentum in corporibus grossis, habentibus sanguinem grossum, paruum esse; quoniam ex istis non extrahunt sanguinem, sicuti oportet; immo qui ex eo vehementer est subtilis, & cum difficultate. quę distinctio verissima est, & maxime congruens cum ijs quæ Gal. scribit in libro de sanguinis missione cap. 11. ad prouocandos nimirum menses in mulieribus candidioribus quæ sanguinem habent magis tenuem cum primis conuenire crurum scarificationem; at in mulieribus nigrioribus quæ sanguine sunt crasso & melancholico necessarium esse ad mēstruas purgationes ciendas venam secare malleolorum. nos ita censemus cucurbitulas scarificatas posse supplere vicem sectionis venæ in vacuando toto corpore, siquidem viriū imbecillitas non patiatur secari venam; ratum enim & firmum isto cucurbitulas scarificatas longe minorem operam præstare in sanguine euentando, quàm venæ sectionem; proindeque si possit secari vena, stultum esse ad scarificatas cucurbitulas deuenire; in ægris præsertim crassum & melancholicum sanguinem habentibus; qui paucissimum à scarificatis cucurbitulis beneficium accipiunt. hæc non indigent alia probatione; quòd hactenus fuerit satis demonstrata; qui censent per cucurbitulas attractionis vi tantum calorem concitari, vt propterea in febribus non conueniant; nō bene ratiocinātur; nam & sectio venæ vi attractionis & motus calefacit corpus; eadem tamen longe valentior est in eo refrigerando

rando

rando ob alias causas; sic cucurbitulæ corpus haud dubie refrigerant cum calorem, & fuliginosa excrementa ab internis partibus ad extimas euocent. Ad primum argumẽtum aliorum respondeo ipsas cucurbitulas scarificatas tũ primum minuere plenitudinem plethorici corporis. De secundo eiusdem argumento ingenue fateor non intelligere me, neque quid, neque quantum, neque quomodo cõcludat. Ad tertium argumentum respondeo, fateri me vsum præcipuum cucurbitulæ apud veteres fuisse, vbi non in toto corpore, sed in parte aliqua vitium erat, quã exhauriri ad confirmandam valetudinem satis erat; sicut scribit Cornel. Celsus lib. 2. cap. 11. at sicut Celsus qui hæc scripsit admittit illo ipso capite posse sectioni venæ subrogari cucurbitulas scarificatas, si vires non admodum constent, ita cogor ipse quoque credere non bene concludere argumentum. vsus præcipuus cucurbitularum apud veteres fuit vacuationis particularis gratia; ergo non possunt corpus totum vacuare cucurbitulæ; num enim eodem modo, & eodem numero vtimur cucurbitulis scarificatis vtriusque euacuationis gratia? quis non videt accipi in argumen. idem, sed non secundum idem? Ad Galeni locos respondeo verissimum esse, quum vna aut altera cucurbitula administratur, particularis vacuationis gratia oportere antea totum corpus esse euacuatum, seu reuulsionis, seu deriuationis, seu vacuationis præsidium tum illa sit. at quum cucurbitulæ scarificatæ multæ sunt; partibusque applicantur illis, è quibus copiose profluere sanguis potest; toties repetitæ; quantum videbitur necessarium ad iustã è toto corpore vacuationem moliendam longe aliter se rẽ habere; non me latet Valeriolam valde laborare circa illos Galeni locos; eorumque aliquot aliter explicare, sed

quam bene aliorum esto iudicium. quando autem incidit nunc occasio de cucurbitulis scarificatis sermonem habere, quę particularis vacuationis gratia applicantur; lubet subdere, quæ de illis Franciscus Valesius notauit lib. 2. epidem. sect. 6. fol. 221. dixerat Hippoc. ad auris dolorem cucurbitulam affigere; in quę verba hæc scribit doctissimus Valesius. affigere oportet cucurbitulam prægressa totius corporis euacuatione, quàm affectus exigat, & ægrotus possit tolerare, nam neque ad aliud aliquod auxilium valenter resoluens veniendum est prius; neque tamen proinde expectandum est, vsque dum totum corpus sit euacuatum; & exucce vt plerique hodie Medici faciunt; quibus nulla euacuatio ad cucurbitularum admotionem videtur esse satis; sed quantum vrgeat partis passio considerandum; atque vt resoluentia medicamenta admonemus vacuari cœpto corpore non semper euacuatione finita; ita non raro vrgente passione cucurbitulæ euacuationibus sunt interponendę; vt morbus, qui nō potest expectare totam euacuationem; cum eam partiri opus est, alternatim secta vena, & cucurbitulis admotis perficiatur; neque enim vbi non est admodum iam plenum corpus, neque fluxionis primus insultus est, suspicari oportet tantam futuram tractionem; vt toto ex corpore in affectam partem fluxio commoueatur; aut augeatur; satis enim erit, si de interna doloris sede ad cutim trahatur; neque enim hypochondrio admouere; hepati aut lieni; & admouere hypogastrio; vesicæ, aut vtero: & admouere lumbis, renibus admouere est: intersunt enim musculi, & alia multa. hactenus Vales. quod attinet ad tertiam quæstionem; audacter pronuncio nulla re præstare cucurbitulas scarificatas sectioni venæ, nisi quòd minorem faciant

virium

virium iacturam; proindeque quotiescunque vires permittunt, semper esse præferendam venæ sectionem cucurbitulis scarificatis; quid si in febre maligna maculæ, seu exanthemata appareant? videtur Gal. li.4. de sanit.tuen. cap.10. asseuerare; misso sanguine remigrare ab ambitu moleque tota corporis humores in venas; eius oratio ita habet; quoniam igitur in hac, quæ veluti phlegmone fatigat lassitudine vis calidi sanguinis congesta in corporis mole est; venæ autem sectio succos è vasis emittit; vtile est post priorem detractionem tantisper intermittere, dũ aliquid eorum, qui in corpore sunt humores, remigret ad venas; quod tamen quoniam committendum non est, vt in his maneat, vtpote ex dimidio corruptum; sed potius plurimum eius expellatur; idcirco detractionem sanguinis etiam secundo die iteramus; aliquando verò & in tertio; vbi videlicet & reuellere, & ex alijs in alia transferre visum est conducere; hactenus Gal. ex cuius verbis ita aliqui argumentantur; si maculis apparentibus secatur vena. remigrat materia illa maculosa, & maligna in venas; si applicãtur cucurbitulæ scarificatæ; trahitur foras magis, atque in extimam superficiem ducitur eadem materia; illud facere est contra methodum, trahere foras malignitatis virus est secundum methodum; maculis ergò apparentibus expedit applicare scarificatas cucurbitulas; non expedit venam secare. Respondeo non semper secta vena remigrare in venas humores Galeni sententia; sed tum solum, quum habitus totus corporis laborat lassitudine phlegmonode; musculis omnibus acerbe dolentibus; in maiorem molem distentis, & valde calefactis, quia venis exinanitis per sectionem venæ, musculi & corporis moles exonerant se humoribus, à quibus distendebantur per vim; eos-

que

que in venas remittunt; tanquam in capaciorem locum; venæ autem quòd ſint depletæ non inuite illos recipiunt; tametſi nobiliora vaſa ſint, quàm muſculorum & carnoſi generis inania ſpacia; & quidem ita ſe habere conſtat ex ſequentibus; primum Galenus affectum huiuſmodi cuius occaſione venam ſecat ita dipingit medio capite; ſed ad reliquum & tertium laſſitudinis genus, cum ſponte oritur, transeundum; quod phlegmones ſimilitudinem repreſentare diximus, & propter doloris magnitudinem, & quòd cum euidenti calore etiam muſculos in maiorem molem attollat. deinde idem Gal. hanc cauſam reddit in loco ante citato cur aliquid eorum qui in corpore ſunt humores remigret in venas; quòd nempe in ea laſſitudine, quam curare docet, vis calidi ſanguinis congeſta in corporis mole eſt; tertio non dixit attrahi à venis humores, quod eſſet neceſſarium, ſi ſemper ſecta vena id contingeret; (cur enim tranſmitteret ambitus corporis, venis ignobilior, cũ plenitudine non premitur.) ſed dixit remigrare ipſos per ſe in venas humores; quod idem eſt ac ſi dixiſſet, tranſmitti ab ambitu corporis. Quarto Gal. cap. ſequenti nimirũ 11. lib. 4. de ſanitate tuenda ſcribit miſſo ſanguine, & exinanitis vaſis rapere venas ex ventriculo importune admodum alimentum, tametſi nondum ſatis confectum; vt autem poſſunt rapere ex ventriculo ſi ex ambitu corporis rapiunt? quis neſcit duas haſce tractiones ſibi fore inuicem impedimento? num enim trahentibus venis ex ventriculo verſus corporis ambitum non fit attractio? at quomodo ſecta vena trahentur humores, à corporis mole in venas exinanitas, ſi alij humores è venis tum in corporis molem trahuntur? Gal. libro eodem 4. de ſanit. tuen. cap. 5. cui inquit in laſſo corpore ſanguis bonus exiguus

ſit,

ſit,crudi humores plurimi; huic ſanguis mittendus nõ eſt; quippe inciſa vena bonum ſanguinem emittit;malum,qui in prim is maxime venis circa iecur,& quod meſenterium vocant colligitur,in totum attrahit corpus;& cap.11.ſi inquit,miſſo ſanguine homo ſtatim nutriatur laute, & largiter; corpus totum repletur cruditatibus quòd venter venis, venæ reliquis omnibus animalis partibus rapi quod nondum confectum eſt permittunt: quod adeo non facerent, ſi id exiguum eſſet,quod ipſæ haberent; demonſtratum eſt enim partes ipſas ex alimento primum ſua portione frui, mox cæteris tranſmittere. hactenus Gal. num igitur vno eodemque tempore idem contrarijs motibus agitabitur? fietque ſimul ad ambitum corporis,& ex ambitu corporis attractio? dices,cum in laſſitudine phlegmonode vena ſecatur; certum eſt molem corporis agitari cõtrarijs motibus ex ijs quæ hactenus ex Galeno adducta ſunt; cũ enim ſcribat cap. 10. fluxionem fieri ex ambitu corporis in venas miſſo ſanguine in laſſitudine phlegmonode,ſi ſecta vena tractio fit è ventriculo in venas,& è venis in habitum corporis; eo certe tempore corporis habitus motibus ciebitur oppoſitis; quare ſicut accidit ſemel, vt ſecta vena idem contrarijs motibus moueatur; ita poſſe id accidere ſemper;ſcribentibus logicis poſſibili poſito in eſſe nihil ſequi incommodi. Reſpondeo, Iulium Alexandrinum annotatione ſua in illum locum cap. 10.lib.4.de ſanit.tuenda docere modum,quo defendi poſſit non moueri ſecundum Galenum corporis molem contrarijs motibus;cum in laſſitudine phlegmonode ſecatur vena;qui modus hic eſt;motum è venis in habitum corporis eſſe continuum,fieriq́ue primo & per ſe; motum humorum ex habitu corporis in venas fieri ſecundario atque ex accidenti; nihilq́ue prohibere

bere vt diuerso tempore fiant; motu per se continuo per accidens,& præter naturam interpollato ad breue temporis spatium; quæ ratio mihi videtur esse probabilis adeo; vt nulla probabilior excogitari possit. quod si verum est, quis nescit,quod ex accidenti neque semper,neque secundum naturalem rei cursum fieri? at rursus obijciat alius; quemadmodum calidus & feruidus sanguis molem corporis præter naturam, distendens, & male afficiens causa est secta vena ut humores in venas è corporis ambitu remigrent; cur virus illud macularum per habitum corporis diffusum; ab omniq́ue natura alienū non erit pariter causa vt secta vena, idem in venas remeet? Respondeo non esse parem rationem;primum quia in lassitudine phlegmonode sanguis ille calidus & musculos distendens plenitudinem efficit ad vasa; at maculæ neque ad vasa, neque ad vires plenitudinem in cute efficiunt; cum sint meræ exhalationes crassioris humoris in visceribus reperti;quæ nullam cutis actionem lædunt. deinde sanguini non patet exitus à mole corporis versus cutim; nisi verum tumorem fecerit,qui deinde maturuerit.at exhalationibus omnibus licet è cute in aeris spacia tandem diffundi,illicq́ue perdi, & dissipari; tertio maculę sunt meræ exhalationes,vt dixi; proindeq́ue non possunt cursum & iter mutare nisi ad motum humoris crassioris à quo efflātur;is humor in visceribus viget,aut in principe aliqua parte; secta vena certum est humorem quemcunque in visceribus repertum facile trahi & diffundi in venas; non intra se,& in viscerum intima penitius cogi,ergo &c. sequitur quarta quæst. de qualis est inter Medicos nostra ętate clarissimos alter contendit cucurbitulas scarificatas aut nullo modo corpore nondum vacuato,aut partibus tantum infernis in putridis febribus

bribus magnis inflictis vulneribus esse affigendas; primum quod vereatur si dorso applicentur cucurbitulæ scarificatæ, vt attrahant à toto corpore ad cordis regionem; deinde quod Gal. nunquam subrogauerit cucurbitulas scarificatas sectioni venæ, qui tamē de missione sanguinis doctissime, & diligentissime scripsit; adducit alter duas præsertim rationes; quibus probat dorso non cruribus esse applicandam scarificationē in putridis febribus; prima hæc est; crura longius distant à corde; ergo scarificatio in cruribus seu cum cucurbitulis, seu citra cucurbitulas facta minus auertere poterit humores noxios à corde; secūda. Galen. lib. 3. de loc. affect. cap. 4. disputans aduersus Archigenem scribit cucurbitulam supra cor affixam, illud magis exiccare; non ergo periculum est, si cucurbitulæ scarificatæ dorso applicentur vt à toto corpore ad cor maligni humores trahantur; cum contra illud magis exiccent ex Galeni doctrina; ego censeo cucurbitulas dorso applicatas trahere ab imo cordis ad extimam superficiem; cui affiguntur; non tamen trahere à toto corpore; proindeque non esse periculum vt quantum cucurbitulæ è corde exhauserunt, tantundem cor ab vlterioribus partibus recipiat; quoniam cucurbitulæ nequeant tam longè trahere; si tamen admitterem trahere cucurbitulas è toto corpore; non propterea foret necessarium, humoris aliquid aliunde recipi in cor; cum tractionis finis haud dubie sint partes illæ, quibus cucurbitulæ superponuntur; non cor; nec verisimile sit alicubi consistere & firmari humores, qui trahuntur; tractione nondum peracta. sed certus sum nō longe admodum cucurbitulas trahere; perindeque cucurbitulas cruribus applicitas nihil trahere è visceribus & è corde; quod enim antea scripsimus cucurbitulas scarificatas

posse totum corpus euacuare; adeoque minuere plenitudinem, si quæ est in visceribus; non est, id referendum ad cucurbitulas, sed ad scarificationem, & ad successionem sanguinis effluentis per partem post partem ex loco scarificato, atque ex vlterioribus venis; at disputatio est de opera quam præstant cucurbitulæ ipsæ per se; vt cum intellectum fuerit quantum valeant trahendo; (scarificatio etenim præ cucurbitulis trahit ferè nihil per se; fotus, & frictiones, quæ sunt ad scarificationem præparatio, trahunt è vicinis partibus, tantum; sanguinis effusio è toto corpore, non fit per tractionem aliquam scarificationis, sed per successionem sanguinis naturalem per partem post partē vt dixi.) prudentius decernatur de loco, cui in ægritudine sunt affigendæ; Medici consilium in febre maligna cum iubet administrari cucurbitulas, est trahere putres humores è visceribus & corde; illudque exiccare, & liberare ab excrementitia putrilaginosaq; humiditate; dorso igitur cordi proximo non cruribus applicandæ sunt cucurbitulæ, cū certum sit eas non longe admodum trahere; quod ita demonstro; vsus præcipuus cucurbitularum apud veteres fuit; vt videre est ex Hippocrate in libro de Medico; in libro de indicationibus versus calcem, & in libris de morbis vulgaribus non semel ut proxime traherent ex parte aliqua affecta; proxime inquam, hoc est non longe admodum ab illa affixæ, at si cucurbitula traheret per se è toto corpore; temerarium fuisset audax, & stultum præsidiū; quorsum enim trahere è toto, cum ex parte tantum trahēdum est? applicabant interdum veteres cucurbitulam supra partem ipsam affectam vt videre est ex cap. 5. & 19. libri 13. de methodo medendi, vt inde residuum noxij humoris discuterent; at num sapienter id fecissent, si cucur-

bitula

bitula vim habet è toto corpore trahendi? egregie Valesius lib.4.epidemiorum commẽ.43. an parum est(inquit) cucurbitulam ex loco affecto, qui in alto positus sit, in cutem trahere; nisi etiam in illum vndique conuocet? an nõ potest locus qui præter naturam erat distentus vacuari, quin tantundem aliunde recipiat? an non possunt partes subsidere? hactenus Valesius; deinde tota tractio cucurbitularum fit vi caloris intra illas conclusirat is calor neq; multus est, cum neque cucurbitulæ magna admodum corpora sint; neque est valde potens, exureret enim subiectã cutem quod non facit; vt igitur trahere è toto corpore poterunt cucurbitulę? inuruntur partes aliquæ interdum ad extirpandũ quidquid in illis malignitatis est, & corruptelæ; hinc Hippoc.lib.7.aphorismo 85. quæcunque, inquit, non sanant medicamenta, ea ferrum sanat; quæ ferrũ non sanat, ea ignis sanat. & Cornel.Celsus lib.5. cap.28. curat carcinoma scalpello & vstione; at inustio non trahit ex toto corpore; vt igitur traheret calor modicus cucurbitularum? Dices, cur veteres ante applicationem cucurbitularum corpus totum vacuabant, magnum aliquod malum reformidantes in parte cui affigebant cucurbitulas corpore non vacuato; nisi cucurbitulæ trahunt è toto corpore? Respondeo veteres alia medicamenta localia, vix tantillum trahentia ante uacuationem totius corporis prohibuisse, non cucurbitulas solas, uel uerentes ne concitata in plethorico aut cacochymo corpore ex minima aliqua occasione fluxio; tota irrueret, atque impetum faceret in affectam, & debilitatam partem; uel timẽtes ne medicamenta plus traherent, quàm aut uacuarent; aut digererent; ut uidere est ex Galeno libro 13. methodi cap.5. at aliud est uel dare occasionem fluxioni, uel plus trahere quàm

digerere, aut uacuare; & aliud eſt trahere ex toto corpore. Ad quintam quæſtionem pauciſſimis reſpondeo. Cucurbitula poſtquam attraxit, ſuſpendit, ut ſic dicam, ſubiectam cutim, & quidquid ad illam attraxit; ut facilius deinde per ſcarificationem euacuetur; quantũ igitur iuuat cucurbitula ſcarificationem, ubi fotus multi continui & ualde calidi; frictionesque ualidæ non poſſunt adminiſtrari; tantum eadem interpellat, retardatq́ue ſcarificationis operam; ubi ex fotibus frequentibus, calidis, continuisq́ue & ex frictionibus addo etiam ex uerberibus ualide adminiſtratis ſcarificationis opera, ideſt effuſio ſanguinis ex parte ſcarificata confertim, & continue fit. dices cur magnæ illæ ad ſcarificationem præparationes non fiunt cum dorſum eſt ſcarificandum, æque ut cum crura aut brachia debent ſcarificari? quia dorſo ſubijciuntur uiſcera; quibus uehemens quælibet agitatio plurimum obeſt; hinc diſcat quilibet; ſi concitatio excitata in cruribus à præuia ſcarificationis diſpoſitione ad cor non peruenit. etenim ſi perueniret; cauiſſent ab illa ueteres Medici; multo minus agitationem actam à cucurbitulis etiam dorſo applicitis ad cor poſſe peruenire; cum oſtenſum ſit illam quàm has eſſe potentiores, & ualidiores multo. quare decipiuntur illi, qui credunt dorſo applicitas cucurbitulas non ſolum trahere è corde, ſed etiam turbas magnas concitare circa cor.

De

De hirudinibus per hæmorrhoidas sanguinem exhaurientibus. Cap. VI.



T tractatio hæc tota distincte procedat, hæ omnes quæstiones sunt explicandæ, & examinandæ; prima, quis sit venarum hæmorrhoidum vsus; quis item vsus hirudinum. Secunda, num hirudines ad hæmorrhoidas applicatæ possint corpus totum euacuare. Tertia, num hæmorrhoidibus non tumescentibus; itemque num tumescentibus tuto, & cum vtilitate applicentur hirudines. Quarta, num in quocunque morbo; an in aliquibus dumtaxat liceat per hirudines aperire hæmorrhoidas. Quinta, num applicatio hirudinum ad hæmorrhoidas conueniat in quacunque febre maligna. Antequam aggrediar examen primæ quæstionis; lubet præfari aliqua de exortu hęmorrhoidum venarum. Altimarus in libro de medendis humani corporis malis cap. 76. Rondeletius lib. 3. methodi curandorum morb. cap. 23. & Matthæus Curtius commen. in cap. 26. Anatomis Mundini existimant venas omnes internas intestini recti esse progerminationes venæ portæ; venas autem quæ circa ani sedem sunt, esse ora venarum illarum, quæ circa eiusdem intestini conuexũ sunt distributæ; easque non à vena porta, sed à vena caua originem ducere; illorum argumenta hæc sunt; constat ex Gal. libro 2. de nat. facult. cap. 9. & lib. 6. de loc. aff. in principio liene debili existente, & non patiente trahere ad se quidquid crassi, & fęculenti sanguinis in iecore gignitur; sanguinem totum qui per totius corporis venas diffusus

est craſ-

est crassum fieri fœculentum,& melancholicum; constatque ex eodem Galeno libro 2.ad Glauconem cap.10.sanguinem hunc turbidum, & crassum per venam cauam, & per venas reliquas,diffusum excerni interdum per hæmorrhoidas magno cum ægri beneficio.at si hæmorrhoides ortum ducerent ex vena porta ; non posset vena caua, & venæ reliquæ à caua ortæ per illas excernere quidquam; ergo venæ hæmorrhoides ortum ducunt à vena caua,non à vena porta . deinde Hippocrate & Galeno testibus lib.6. aphoris.11.& 21.superuenientes hæmorrhoides liberant à melancholia, & nephriticis doloribus eædemque si moderate ac decenter fluant præseruant hominem à lateris dolore ab inflammatione pulmonis, & à plerisque alijs morbis,vt ijdem scribunt libro 6.epidem.sect.3.tex.34. & lib.de humoribus commen.3.tex.26.atqui id esset impossibile; si hæmorrhoides ex vena porta,&non ex vena caua originem haberent; cum certum sit lateris,pulmonis,& renum venas esse progerminationes venæ cauæ,& non venæ portæ ; ergo &c. Tertio sic argumentatur Matthæus Curtius; vena porta, & illius surculi facta fuerunt à natura in eum præcipue finē vt attraherent quidquid boni reliquum est in intestinis; at attrahere ex venis hæmorrhoidalibus,& per illas excernere res sunt admodum diuersæ; motusque contrarij existunt;his accedit quòd hemorrois nihil aliud significat, si vim nominis consideres,quàm sanguinis euacuationem; vt autem potest ad attrahendū præcipue facta esse illa vena,quæ tota sui natura ad effundendum refertur? signum est igitur venas hæmorrhoidales nō esse germina venæ portæ,sed cauæ; quandoquidem certū est ad excernendum potissimum, & non ad attrahendum illas esse factas ; in contraria sententia sunt omnes recentiores

tiores Anatomici, Valuerdus libro 6.cap.5. Realdus Columbus libro 6.fol.165.& Vesalius libro 5.de humani corporis fabrica cap.15.versus calcem; venas hemorrhoidales à vena porta ortum ducere easdemque transitu per mesenterium facto in recti intestini cauitatem & extremitatem desinere. Anatomicorum experimento consentit Petrus Paulus Pereda Scholio in cap.52.libri 1. de methodo curan. Michaelis Ioannis Pascalij. Pereda vtitur hoc argumento, venæ per intestini recti partem exteriorem dissemi natæ paruæ admodum sunt; vt probabile non sit ex illarũ osculis, quod effatu dignum sit sanguinis effluere posse; venæ disseminatæ per interiorem partem eiusdem intestini sunt ampliores multo; cũ igitur ex hæmorrhoidalibus venis magna interdum copia sanguis effundatur; dicendum est illas pertinere ad venas disseminatas per interiorẽ partem intestini recti, quę haud dubie progerminationes sunt venæ portæ; non ad venas exteriores eiusdem intestini, quæ venæ cauæ surculi sunt; Vesalius adducit pro argumẽto experimentum huiusmodi. Hic vir (inquit) ordinatis vicibus, vt mulieres suis mensibus, ex venis in sedem pertinentibus sanguinis crassioris fluxu vexari consueuerat; & quum ex nigro arquato, iecorisque mira duricie perijsset, num portæ rami, an cauæ hunc sanguinem euacuarent indagaturus, illum dissecui; atque venæ portæ ramum sub coli intestini fine & toto recti longitudine in mesenterio ductum pollicis fere crassitiem æquare; & sanguine illo crassiori, lutosoque turgere animaduerti, cauæ venę ramis huc pertinentibus nihil prorsus immutatis; adeo vt perquam stupidus censerer, si posthac ambigerem num ex portæ ramis an cauæ melancholicus sanguis ex sede frequentius promanaret; & non certissimo mihi persuaderem venas

has

has nimium oppletas, quum iam ſenſim ſanguinem illum admiſerint, apertis ipſarum oris eructare. haſtenus Veſalius. quæ primi contra iſtorum ſententiam adducebant, nihili ſunt; diluunturque facillime; nemo dubitauit vnquã inteſtinorum internas venas à porta oriri; at Gal. lib. 3. de natur. facultat. cap. 13. & experientia ipſa docent, in choleris per venas, quæ ad inteſtinum, & ventrem pertinent totum vacuari corpus. idem Gal. paulopoſt in libro proxime citato, tertio inquam de nat. facult. cap. 13. poſtquam paucula quędam de attractrice & expultrice facultate fuiſſet philoſophatus, ita concludit; ergo quid miri eſt, ſi etiã ab ultima corporis parte quæ ad cutim eſt, ad ipſa uſque inteſtina, & uentriculum, aliquid translatum peruenit? quod ipſum quoque Hippo. nos docuit; ſcilicet non ſpiritummodo, aut excrementum, uerumetiam nutrimentum ipſum ab ultima, & ſumma corporis parte eò unde primũ aſcendit, rurſum deferri; & cætera quę ſequuntur; poſt pauca iterum ſubdit. cæterum quod ex toto in totum aliquid transferatur, mutuoque recipiatur, ac una ſit omnium, (ut Hippo. dicit) conſpiratio, atque confluxio, iam mihi uideor clare indicaſſe; quodque nemo, ne ſi tardus quidem illi ſit ſenſus, de talium ullo etiamnum dubitet; qualia ſcilicet ſunt, qua ratione uenter, inteſtinaque nutriantur; & quo nam modo ab ultima corporis ſumma parte intrò aliquid perueniat: ſi quidem cum uniuerſæ corporis particulæ attrahendi quòd conueniens, amicumque eſt; repellendi quod grauat, mordetve potentiam habeant; minime mirandum eſt contrarios aſſidue motus in ijs fieri, ueluti tũ in corde liquido cernitur; tum arterijs omnibus thoraceque & pulmone. hactenus Gal. quòd ſi illis hæc non ſufficiunt mirumque etiamnum uidetur per uenæ portæ ramos

mos excerni ſanguinem,qui in uena caua continetur; exponant mihi quęſo cauſam,cur nullis extantibus vijs à ve ſica ad aluum; veſica tamen multo & vitioſo ſucco referta commodius multo per deiectiones,quàm per vrinæ meatus expurgetur,vt ſcribit Gal.lib.7.methodi cap.vlt.meminerint ijdem legi in Hippocrate libro primo epidem. ſect. 3. ægroto tertio cuidam humores ex liene decubuiſſe in inguem ſiniſtrum primum, indeque poſtea ſeceſſiſſe in vtranque tibiam; & lib.3.epidem.ſect.3.tex.*66*.ſuccos tabidis de pulmone in ventrem abijſſe. non igitur eſt alienum à ratione venæ cauæ ramos omnes,adeoq́ue cutim ipſam ſi quidem craſſo & turbido ſanguine abundent; illum, in iecur vſque remittere è iecoreq́ue in venam portam recta via, è vena porta in venas hemorrhoidales tranſmitti; quæ ſunt partes maxime ignobiles,& aptiſſimæ ad huiuſmodi ſanguinem tum recipiendum, tum etiam effundendum;Hæc reſponſio ſi non placet;admittant ſaltem aliam; quæ nullam patitur meo iudicio obiectionem; venæ per corpus diffuſæ, & è caua ortæ, cum ſanguine refertæ ſunt craſſo & melancholico; aptæ ſunt illum coquere,attenuare,& elaborare; niſi omnino, at ſaltem magna ex parte, ſi ceſſet continuus in illas affluxus melancholici ſanguinis è iecore,& liene; pone igitur craſſum ſanguinem qui per venas deferebatur; cum in lienem recipi non poterat tenere nunc alium curſum adapertis venarum hemorrhoidalium oſculis; immutato prorſus fluxionis, vt ſic dicam itinere; quid mirum;ſi apertæ hæmorrhoides magnum immo maximum præſtent beneficium toti corpori ſanguine melancholico ſcatenti mali cauſa ad ſe translata;atque à reliquo corpore ſubmota? Ad Curtij argumentum reſpondeo noſtri corporis partem quamcunque attrahendo,& expel

lendo valere; & per eaſdem venas per quas diſtribuitur alimentum per corpus; fieri etiam humoris, aut excrementorum euacuationem vt docte demonſtrat Gale. lib. 3. de natur. facult. cap. 13. ac quãquam verum eſſet dum corpus valet, venæ portæ ſurculos attractioni magis, quàm expulſioni deſeruire; quod ipſi mordicus negamus de hæmorrhoidalibus venis. in corpore tamen valetudine non integre fruente, quid mirũ ſi contrario modo ſe res haberet; maiori excrementorum quàm aſſimilati alimenti prouentu facto? Aggredior nunc explicationem primæ quæſtionis. hæmorrhoides vel internæ ſunt, vel externæ, ideſt circa ſedem diſtributæ; voco nunc hæmorrhoides; venas illas ani, quæ modo naturaliter ſe habent; modo diſtenduntur tantum cęcæque vocantur; modo etiam recluduntur, ſanguiniſque profluuium faciunt; & recluſæ appellantur quanquam proprie, & ſi vim nominis ſpectes, vt ante monui, nihil aliud ſit hæmorrhois quàm profluuium ſanguinis per venas ſedis; quod ſcribit Gale. lib. 5. in 3. epidem. commen. 25. inepteque ad venæ oram ſignificandam hoc nomen traducitur; cum longe differãt hæc duo venæ oræ & per venam euacuatio; ſed quando vſus obtinuit, vt hæmorrhois pro hæmorrhoidalis venæ orificio ſeu oſculo accipiatur; ſequemur ipſi quoque communem aliorum in loquendo conſuetudinem; ne in re minima videamur cõtentioſi; Aio igitur primum neutras hæmorrhoides, hoc eſt neque internas, neq; externas ad attrahendum ex inteſtinis alimentum, quod in venam portam deferant referri; proindeque Curtium toto cœlo à veritate aberrare; quod ita demonſtro; ex rudibus fœcibus poteſt vtilis aliquid ad alendum deſumi; ex fœcibus omnino excrementitijs nihil penitus; at fœces quæ ad hæmorrhoides perueniunt

impu-

impuræ prorſus ſunt, boniq́ue alimenti continent nihil; iam enim ſubiere omnes immutationes; & defœcationes; & quanquam haberent aliquid boni ſucci; illud non valent hæmorrhoidibus impertiri; quoniam attractio omnis in tempore fit; & fœces non ſubſiſtunt in recti inteſtini extremitate, niſi temporis momentum breuiſſimum; dum ſcilicet detruſæ à natura in tranſitu ſunt; forasq́ue citiſſime properant. horum oſculorum in homine ſano vſus eſt continere ſanguinem, ne è venis effluat, quod idem dici poteſt de oſcillis illis quæ narium venas claudunt; venæ ipſæ quid circa ſanguinem homine bene valente efficiant non eſt opus diſſerere; quòd ſi valetudo non ſit integra; contineaturq́ue in venis huiuſmodi in meſenterioq́; vel etiam in vena porta impurus ſanguis vel corpus totũ plethoricum ſit; hæmorrhoidum vſus eſt, recludi à natura vt fœculento vel ſupra modum aucto ſanguini pateat exitus; ſicq́ue hominem ab imminente aliqua vel etiam præſente ęgritudine liberare. fateor nonnunquam hæmorrhoides aperiri ſanguinis impetu in ipſas irruente; nonnũquam laxata virtute; nonnunquam acri qualitate irritatas; nonnunquam denique ſeroſi ſanguinis præcipiti fluxilitate adapertas nihil horum prouide faciente natura; ſed nobis de vſu naturali hæmorrhoidum ſermo eſt, non de vſu illarum præternaturali. at vnde agnoſcitur, inquies num natura an quidpiam naturæ inimicum hæmorrhoides recluſerit? Galen. loco citato 5. nempe in tertium de morb. vulg. commen. 25. cum ſcribat naturam vacuare interdum per hæmorrhoides multitudinẽ ſanguinis, eo modo quo per nares facere ſolet; non tamen ſigna vlla docet, quibus id dignoſcatur; quanquam facile eſt dicere ſi aderant antea ſigna plenitudinis; vacuationemque per hę-

morrhoidas facile pertulit patiens, ex eaque subleuamentum, & solamen sensit; fuisse illam naturalem; idem Gale. ibid docet internoscere quando hęmorrhoides aperiantur sanguinis impetu in illas irruente; & quando natura nigri fellis succum repurgante; cum (inquit) propter sanguinis impetum irruentem hęmorrhois aperitur; sanguis qui profluit, niger non est. num vero quotiescunque sanguis profluens niger non est; pręternaturalis est semper hęmorrhoidum reclusio, dum certum sit ad plethoram minuendam illam non referri? ego certe plurimos noui, quibus ex hęmorrhoidibus statis temporibus ichor quidam saniosus magna cum utilitate effunditur, ut uel hoc argumento tantum constare cuiuis possit, naturam pręter multitudinem, & præter nigrum sanguinem alia quoque per hęmorrhoides excernere interdum; quę res quoniam diligentiorem explicationem requirit, altius est repetenda; certum est uenas hęmorrhoidales uenę portę ramum esse; qui per mesenterion descendens extremum rectum intestinum petit; multę autē causę esse possunt propter quas hęmorrhoidales uenę uel tument solum; uel etiam aperiūtur; & pręturgentia, ut sic dicam, disrumpuntur; primum si aliqua ex ijs uenis quę portę rami sunt, obstructionem patitur; ita ut è uena porta iustum sanguinem recipere nō possit; uel receptum nequeat, quò debet transmittere; necessarium est intumescere comites ramos; & pręsertim hūc qui gignit uenas hęmorrhoidales; quoniam prouida natura in eam semper partem onus deponit, quę minorem ex onere noxam recipit; at cum nullus ramus uenæ portæ, hoc excepto, oscula habeat, quæ aperiantur, vt contentam in ipsis sarcinam deponāt; quæ vena ex omnibus illis quæ è portæ trunco originem ducunt commodius & minori

cum

cum noxa adauctum ſanguinem quicunque ille ſit recipere poterit? quod dixi de venis obſtructionem patiẽtibus contingere ſolet præcipue in liene; qui ſæpe fœculẽtum ſanguinem vel ab hepate non recipit, vel receptum ad vẽtriculum minime tranſmittit; quo fit vt venæ hæmorrhoidales primum turgidiores fiant; deinde aperiãtur quoq; . Secũda cauſa eſt obſtructio meſenterij ſeu meſeraicarum venarum, qualis manifeſte cernitur in melancholia hypochondriaca; cum enim venæ meſeraicę alimentum exurgant in ventriculo, & inteſtinis confectum, quo illud ad venam portam deferant; ſæpe fit vt id, quoniam ſatis concoctum non eſt, in anguſtis venis inculcatum etiam, atque etiam craſſeſcat, incraſſatumque vaſorum obſtructionem faciat; quo fit, vt quod ad venam portam tranſmitti debebat, trãſitu intercluſo, per omnes meſenterij venas diſpergatur; illasque maxime, quæ faciunt hæmorrhoides, & ad inteſtini recti oram deſcendunt; tum ob rationem à me ſuperius allatam; tum quia venæ meſeraicæ facilius obſtruuntur prope hepar, quàm prope inteſtina hepatis calore ad crudi ſucci incraſſationem non parum faciente; eo modo quo figulorum vaſa, & lateris igne denſantur magis; proindeque veri ſit ſimile retrocedere veluti ſuccum qui ad venam portam deferebatur, eundemque refundi in hæmorrhoidales venas, quæ mox fiunt neceſſario tumidiores. Tertia cauſa eſſe poteſt obſtructio aliqua hepatis, ſeu in concaua, ſeu in conuexa illius parte; tum enim ſanguinis elaborari cœpto intercepto tranſitu; tument neceſſario venæ omnes quæ illum apud hepar erant depoſituræ; hæ vero ob rationem à me ſuperius allatam graue onus ad hęmorrhoidales venas tranſmittunt; Quarta cauſa eſſe poteſt tumor quiuis ſeu in meſenterio verſus hepar,

ſeu

ſeu in ipſo hepate; quod quomodo contingat facile eſt intelligere ex antedictis; quinta cauſa eſſe poteſt cruditas aliqua magna è ventriculo in meſenterium regeſta; hæc.n. non ita auide trahitur ab hepate, vt bene confectus chylus; quo fit vt maior illius pars vnà cum ſanguine qui ab hepate in venas meſeraicas deducitur in hæmorrhoidales venas tranſmittatur; quæ ob id fiũt tumidiores; ſexta cauſa eſſe poteſt vitium quodlibet repertum in ſanguine hæmorrhoidalium venarum; cum enim natura comparatum ſit vt pars quælibet noſtri corporis ſui commodi gratia plus agat, quàm gratia commodi alieni; quis dubitabit hęmorrhoidales venas citius detruſuras & expulſuras quidquid in ipſis corrupti eſt & vitioſi quàm melancholicum ſanguinem qui vel lieni, vel hepati, vel toti corpori incommodabat? ita veſcica, ita renes non modo ſerum, ſed etiam quidquid in ijs præter naturam eſt, foras trudunt. his cauſis ſi ſeptima addatur quæ eſt plenitudo totius corporis, de qua Gal. loco proxime citato; nihil præterea ad hanc rem pertinens deſiderari poſſe crediderim; quibus poſitis dicendum eſt non neceſſario debere eſſe atrum, & nigrum illum ſanguinem, qui per hæmorrhoidas effunditur naturaliter, aut ſaltem ſalubriter; quoniam prout cauſæ variæ ſunt, ita varius eſſe poteſt color, & ſubſtantia effuſi ſanguinis; & quoniam ſanguis venarum meſeraicarum rudem tantum formam habet; dilutus eſt, permixtus multæ ſubſtantiæ ſeroſæ; proindeque tenuis, ſplendidus, & colore minus exſaturato; hinc fit vt ſæpiſſime, & maiori ex parte flauus ſit ille ſanguis qui hirudinum opera effluit ex hæmorrhoidibus; quam cauſam ante nos notauit doctiſſimus Rondeletius cap. 23. lib. 3. de methodo curandorum morborum; egoque cum iuramento poſſum

affir-

affirmare noſſe me plurimos, quibus naturaliter & cum maxima vtilitate ſanguis effluit ex hęmorrhoidibus omnino aqueus; & alios item quibus ſanguis ferme ſanioſus ex hæmorrhoidibus citra artis operam profluit; quæ res cauſa eſt vt valde mirer Medicos aliquot primi nominis reperiri, qui affirment nullum ſanguinem ſalubriter ex hæmorrhoidibus excerni niſi atrum & melancholicum. quid ſi dixero melancholicum ſanguinem eſſe perrubrum interdum, tenuem, & ichoroſum? de tenuitate frequenti melancholici ſanguinis nulla dubitatio eſt. Hippoc. lib. 3. de morb. vulg. ſect. 3. ægroto. 2. tex. apud Galenum 73. huius (inquit) urinæ perpetuo nigræ erant; tenuesq́ue & aquoſæ: & lib. 6. de morb. vulg. ſect. 2. textu apud Galenũ 38. de ſanguine (inquit) ichoroide, quòd in pauidis talis; aut in vigilantibus; & ſiue malus, ſiue bonus. lienis ſubſtãtiam quis neſcit eſſe tenuem? proindeq́ue tenui nutriri ſanguine? at lienis nutrimentum à melancholico ſanguine eſt totum. rubrum colorem certiſſimum eſt eſſe medium inter flauum & nigrum; perrubrum vero ad nigritiem accedere propius, quàm ad flauitiem. quàm igitur facile eſt remitti ob aliquam cauſam nigritiem; tam eſt facile vt ſanguis melãcholicus ſui natura niger, & ater perrubrum colorem induat. rei vtriuſque, hoc eſt perrubri coloris, & tenuitatis in melancholico ſanguine hæc ſæpiſſime eſt cauſa. ſuccus quilibet ex quatuor ſuum habet, & peculiare ſerum, vt Gale. docet lib. 2. in 6. de morb. vulg. commen. 38. melancholia verò præ humoribus reliquis ſerum habet valde copioſum, & multum; tametſi ipſa ex ſe humor ſit fœculentiſſimus, & craſſiſſimus; hinc melancholici & multam ſaliuam habent; & copioſe, ac frequenter ſudant; illi præſertim, quibus melancholia dominatur

per incoctionem genita. cum enim concoctione crassescant omnia; illi qui parum coquunt; sanguinem habent necessario tenuem, & serosum. melancholia item, quæ per vstionem facta est flauæ bilis; serosa admodum est; quia ex humore cumprimis tenui, & subtili, qualis est flaua bilis; si fœcem per assationem extrahas; quod residuum est, tenuissimum & subtilissimum sit oportet. exẽplo esse possunt aquæ stillatitiæ. egregie doctus quidam Medicus melancholicum sanguinem comparat vitioso lacti; quod in caseum & serum fere totum resoluitur; nihil aut perparum habens butyri, & mediocriter crassi lactis. atque hęc de prima quæstionis parte. reliquum est, vt de hirudinum vsu oratio instituatur; quatenus illæ ad hæmorrhoidas affiguntur. illud nemini dubium esse puto hirudines vim habere non mediocrem attrahendi sanguinem; ægroti enim omnes manifeste illarum exuctionem; indeque dolorem quoque sentiunt; hirudinum igitur vis duplex est, altera venas aperiendi; attrahendi & exugendi sanguinem altera; non desunt tamen nobilissimi Medici qui hirudinum ad hæmorrhoidas vsum valde improbant; affirmantes magis expedire hæmorrhoides aperire, (cum sunt aperiendæ,) vel scalpello; vel sectione venæ saphenæ, vel scarificatione crurum; vel denique externis positis medicamentis quàm affixis hirudinibus; illorum argumen. hęc sunt; scalpello inquiunt illorum aliqui licet pro nostro arbitratu grandiusculũ vulnus infligere; vnde transpirationi via pateat, crassusque humor liberius & facilius possit exire; at hirudines angusto suo foramine sanguinem hauriunt subtiliorem; transpirationisque prohibitę vel angustam, vel nullam viam faciunt; deinde inquiunt alij, hirudines incertam sangui-

nis mensuram ducunt; quando non solum præsenti tempore illis proxime ablatis; sed etiam post vnam aut alteram diem, non satis obducta vulneri cicatrice, aut propter alui deiectionem, aut propter aliam causam vulnera quandoque refricantur, & aperiuntur; adeoque tantam sanguinis copiam profundunt, vt nullis medicamẽtis nõ sine insigni virium iactura possit cohiberi; subdunt ijdẽ hirudines non leuia secum pericula nonnunquam afferre; hinc enim naturam assuescere, & discere transmittere ad eas partes tanquam ad sentinam totius corporis cunctos humores vsque adeo violenter, & immoderate; vt eiusmodi fluxio vix cohiberi possit; ex quo & iocinoris, & ventriculi, & totius corporis vires dissoluuntur sępenumero; mali fiunt habitus, ac speciatim progressione temporis sequuntur vlcera putrida, cacoethe, & quas fistulas appellant; eaque prorsus difficilia & periculosa. quę duo postrema argumenta docent maxime conuenire ad hęmorrhoidas aperiundas sectionem saphenę; & scarificationem crurum; & ęque scalpelli, externorumque positorum medicamentorum; ac hirudinum vsum coarguũt. Quarto argumentantur, Gal. & Hippoc. nullibi meminerunt hirudinum ad hęmorrhoidas appositarum; qui cum arte hęmorrhoidas aperire volebant, vel scalpello, vel externis positis medicam. vtebantur; vel crura scarificabãt; vel venam saphenę incidebant; ergo, &c. sed non omnis ętas inuenire omnia potest; neque dubium est arti Medicę post Hippoc. & Gal. non leuem accessionem factã fuisse; proindeque hoc argumentum nihil est. ego vt libere dicam quod sentio; in ea sum sententia, cum vrget necessitas aperire hęmorrhoidas nullam extare commodiorem, & salubriorem rationem illas aperiendi ea quę per

hirudines fit; etenim ſcarificatio crurum & ſectio venę ſa phenę incerte admodum, & inefficaciter hanc operam pręſtant; nemoque eſt illuſtrium Medicorum, qui ſi velit verum fateri, non affirmet; ſibi ſępiſſime contigiſſe; vt his duobus pręſidijs tentatis nulla tamen ſubſecuta ſit hęmorrhoidum apertio; externa poſita medicamenta ſunt acria, & acuta neceſſario; proindeque aptiſſima vt vlcus aliquod inducant; à cuius mali periculo longe abſunt hi rudines; cum certum ſit ex Galeno in libello de hirudinibus eas eſſe natura frigidas: ſectio hæmorrhoidum, ſcal pello facta; maxime inducit ea mala quæ in ſecundo argumento recenſebantur; quis enim negabit facilius refrigeratum iri vel propter deiectionē alui, vel propter aliam cauſam, vulnus quod ſcalpellus, quàm quod hirudo inflixit? cui certum non eſt difficilius & tardius obduci cicatricem vulneri facto à ſcalpello, quàm ab hirudine? id vero maximi in hoc negotio momenti eſt; cum ſit tota illa pars exanguis frigida, & humida admodum; proindeque impotens ad conſolidandum vulnus quod ſit grandiuſculum; & aptiſſima vt in perpetuum vlcus incidat; quæ tertio argumento obijciebantur nihili ſunt; quoniam appoſitio hirudinum ad hæmorrhoidas longe abeſt ab ijs malis inferendis, quum ea fiunt quæ Gal. Antyllus, & Auicenna docent; vt perpurgentur optime hirudines antequam affigantur; ab illiſque vt venenum totum exhauriatur. Hæc de prima quæſtione; Ad ſecundam quæſtionem quod attinet illud cumprimis ſcire oportet, meminiſſe quidem Gal. hirudinum in lib. de hirudinibus; & Oribaſium ex Antyllo, & Menemacho lib. 7. cap. 21. & 22. quatenus eæ ad externam aliquam partem affectam applicantur, vt inde vitioſum & particularem ſuccum eliciant;

ciant; in quem finem cucurbitularum quoq; vsum apud veteres fuisse frequentissimum antea scripsimus; nusquã tamen ex veteribus aliquem hirudinum ad hæmorrhoidas appositarum mentionem fecisse; Auicennamq; & Arabes huius remedij primos meminisse, quos sequutus est inter Græcos recentissimus auctor Actuarius lib. 3.metho.med.cap. 3.& lib.4.metho.cap.6.Gal verba loco citato sic habent; Sciendũ autem est sanguisugas haud eum qui in profundo est sanguinem extrahere; sed tantũ quo caro imbuta est,exugere; vtimnr eis pro cucurbitulis. & paulopost; si quidem particula tum à sanguisugis natura frigidis, tum ab aere nos ambiente refrigeratur; id eo monere uolui ne quis Gal.& Oribasij libros legens deciperetur; putans illos credidisse hirudines ad hæmorrhoidas appositas non posse corpus totum euacuare; tametsi enim ignorarent hunc hirudinum usum hac nostra tempestate frequentissimum; tamen de hæmorrhoidibus natura apertis; aut arte alia quàm per hirudines aperiendis plurima tradiderunt, Gal.præsertim; & ante Galenũ Hippocrates bis mille in locis; cum autem certum sit hæmorrhoidas per hirudines reclusas æque copiose sanguinem profundere; ac si artibus alijs reclusæ fuissent; scalpello nempe,uel externis positis medicamẽtis; quidquid Hippoc.Gal.& alij ueteres generatim docuerunt de hæmorrhoidibus apertis aut arte, aut natura quatenus eæ ad generalem totius corporis uacuationẽ faciant, uel nõ faciant; credendum est illos idem decreturos si uiuerent de hæmorrhoidibus apertis per hæmorrhoidas. His positis respondeo ad quæstionem; neminẽ dubitare de Galeno; statuisse illum hæmorrhoidas reclusas,si quidem antea fluere salubriter solebant; tantundẽ ualere ac sectio-

nem uenæ;hoc eſt euacuare cum ægroti beneficio totum corpus ; minuereque plenitudinem ; ut patet ex libro 4. de tuenda ualetud. cap.4. idem Gal. putauit haud dubie hæmorrhoidas reclusas,siue antea fluerent,siue non fluerent totum corpus euacuare, ut manifeſtum eſt ex lib.6. epidem. sect.5.commen.25.at num cum ægroti damno semper; an interdum cum ægroti beneficio;id demum in controuersia positum eſt; vir quidam clariſs. censet nullo pacto esse recludendas arte hæmorrhoidas, siue ut generalis euacuatio fiat,siue ob aliam causam; nisi cum illæ solitæ antea per se fundere sanguinem atrum, & melancholicum, ex causa aliqua præternaturali clausæ sunt. quod probat Hippoc.& Gal.teſtimonio ; is siquidem sect.4. aphoriſ.25.generaliter pronunciat, sanguinem qualiscunque sit,superne ferri,malum esse; inferne autem,bonum ; dummodo ille niger deijciatur; hoc eſt Galeno interprete, quando hominis natura multum huiusmodi accumulauerit sanguinem; hic uero libro 3.de humorib.commẽ. 26.scire inquit,conuenit,non semper boni consulendum esse ut sanguis per infernas partes, & hæmorrhoidas effluat; sed tum denique cum nigra excernuntur;& cũ hominis natura multum huiusmodi humoris accumulat,alioqui natura non eſt tali uacuationi assuefacienda;hacte nus Gal.de Hippoc.posset aliquis suſpicari,illum credidiſ se hæmorrhoidas reclusas nullo modo posse minuere plenitudinem,& ualere tantundem ac sectionem uenæ;quoniam lib.5.epidem.in hiſtoria Eudemi in Larissa;scribit ille hæmorrhoidas habẽti fortes ualde,prȩtumidas,& diuturnas manum à Chyrurgo admotam esse hæmorrhoidibus, cum adhuc aluum non bene haberet ; sed indigeret curatione ; ob idque accedente cancro febrem eum

corri-

corripuisse, neque dimisisse, donec occiderit; ex quo loco non leuis coniectura sumitur, per hæmorrhoidas non posse totum corpus vacuari; quoniam sanguinis euacuatio quæ generalis est, non postulat præcedentem totius corporis purgationem; at Hippoc. non vult admoueri manum hæmorrhoidibus nisi curato ante & perpurgato corpore; hinc Valesius in commen. super illum locum, quod est 20. lib. 5. præsenti (inquit) historia admonemur, ne temere permittamus hæmorrhoidas curari (periculose .n. tractantur ferro aut igne) ac nunquam prorsus non perpurgato corpore; ego tamen certus sum ex Hipp. ex Galeno, & ex rei veritate hirudines ad hæmorrhoidas appositas posse plenitudinem minuere; totumque corpus euacuare salubriter, & magno cum ægroti beneficio; locus Gal. 6. epidem. sectio. 5. commen. 25. luce ipsa meridiana est clarior; fit (inquit) hæmorrhois non vna de causa; sed aliquando quidem ipsa natura purgante melancholicum succum; aliquando vero multitudinem vacuante; Respondet ille secundam hanc causam exponens; id vsu venire præter propositum & institutum naturæ; cum enim Gal. post illam orationem subdat illico; est vero quum vena ob vim eius quod in ipsam decumbit adaperta; absq; quod natura consulto hoc faciat; propterea & quod euacuatur interdum nigrum non est; quamuis natura, vt nigrum euacuet, apertionem faciat; putat idem totam hanc Galeni orationem esse explicationem illorum verborum [aliquando vero multitudinē vacuante] sed meo quidem iudicio nō bene; nam vt potest esse præter propositum & institutum naturæ secundum Galenum, quod secundum eundem fit à natura? num Gal. verba clarissima non sunt? aliquando (inquit) ipsa natura purgante melācholicū succum, aliquando vero multitudinem vacuante, si-

te, ſicut in illis quoque quibus ſanguis per nares effluit. deinde quis non videt ex modo loquendi, quo Gal. vtitur, dicẽs [eſt vero quum vena &c.] totam illam orationem nihil ad priora pertinere; ſed docere nouam rationẽ profluuij ſanguinis per hæmorrhoidas; cum ſanguis violenter & facto impetu ad hęmorrhoidales venas præcipitat; vt propterea facile aperiantur? nũ non ſunt aientia & negantia hæc duo; natura multitudinem ſanguinis euacuat; & ſanguis per vim venas aperit abſque quòd natura conſulto hoc faciat? locus Hippoc. eſt 6. epidem. ſectio. 3. commen. 37. & lib. de humorib. commen. 3. textu 26. qui ſic habet. qui hæmorrhoidas habent, neque dolore lateris, neque pulmonis inflammatione, neque phagedena, neque furunculis, neque terminthis, forte vero etiã neque lepra, ac fortaſſe, neque alijs corripiuntur. ex quibus locis ita argumentor; ex Galeni loco ſic, ars optime facit, quum naturam imitatur; atqui natura plenitudinem minuit per hæmorrhoidas; ſanguine melancholico nihil euacuato; ergo ars quoque citra euacuationem ſanguinis melancholici poteſt ſanguinis plenitudinem per hæmorrhoidas minuere; ex Hippocratis loco ita ratiocinor, ſanguis per hæmorrhoidas decenter fluens non poſſet hominem à lateris dolore, & à pulmonis inflammatione præſeruare; niſi generalem totius corporis euacuationem faceret; vt cuiuis perſpicuum eſt; ergo ſanguis per hæmorrhoidas decenter fluens, minuit haud dubie corporis plenitudinem; cur igitur ars naturam imitata plenitudinem non minuat quum eſt opus per hæmorrhoidas? Maſſarias puto (inquit) Hippocratem ſermonem habere de pleuritide, peripneumonia, cęterisque morbis haud generaliter; ſed de ijs tantum qui ab vno potiſſimum humore melancholico originem habent;

bent; quę responsio non tollit vim argumenti; primũ quia pleuritis, & peripneumonia vix ac ne vix quidem esse possunt à sanguine, in quo melancholicus succus prædominetur; vt enim sanguis crassus tenuissimam membranam peruaderet? vt faceret inflammationem? quis nescit cancros, scirros, & similia tumorum genera fieri à sanguine melancholico, non inflammationem? non erysipelata? deinde quanquam concesserim ita se rem habere vt ille dicit; illud negare nemo potest; sanguinem per hæmorrhoidas fluentem posse minuere secundum Hippoc. plenitudinem illam, quæ in vasis est pulmonis, & lateris; cur igitur melancholico sanguine in corpore minime peccante; non possit ex ijsdem partibus plenitudo quælibet per hæmorrhoidas minui? nũ sanguinis qualitas & substantia rectitudinem facit, ac non potius venarum inter se consensus & communicatio? nam peccãte sanguine melancholico in pectore; minuebant illum hæmorrhoides decenter fluentes; seruant ergo hæmorrhoidales venæ rectitudinem cum venis pectoris & pulmonis; at quum venæ rectitudinem inter se habent; potest alia ex alia sanguinis cuiuslibet plenitudinem minuere; ita laborante capite, cephalicam secamus, quicunque sanguis sit, qui caput infestat; & laborante iecore; secamus basilicam dextram; cuiuscunque generis sit sanguis ille, qui morbum in iecore excitat; quod si contendat vir doctiss. nullã, aut minimam esse rectitudinem inter venas hæmorrhoidales & lateris, ac pulmonis venas; vel hinc maxime redarguendus est; quòd euacuationes quæ secundum rectitudinẽ non fiunt; non possunt esse salubres; neq; consulto fieri à natura: exempla sunt innumera apud Galenum, & Hippoc. v. g. de nare sinistra sanguinem inutiliter fundente cum

dextra

dextra pars laborat; & de nare dextra, cum pars laborat ſiniſtra. ratio autem ob quam non permittẽtibus viribus ſecari venam; venæ ſectioni ſubrogantur commode hiru dines ad hæmorrhoidas; eſt quia huiuſmodi euacuatio ſanguinis vires neque deijcit; neque infirmiores reddit; quod longa experientia eſt confirmatum. Gal. lib. 4. apho riſmorum commen. 2. corpus inquit totum æquabiliter vacuare creditur tum phlebotomia; tum generaliter om- nis ſanguinis ablatio quouis modo facta; eiuſmodi quo- que eſt vacuatio tum quæ per vterum & hæmorrhoidas fit; tum ẽt &c. Ac ſi quidẽ petas quod ex tribus præſidijs chyrurgicis cucurbitulis ſcarificatis, ſcarificatione crurũ, & hirudinibus ad hæmorrhoidas efficacius ſit. Reſpon- det Auicennas libro primo fen 4. cap. 22. extractionẽ ſan guiſugis factam profundiorem eſſe extractione ſanguinis quæ fit cum ventoſis; de ſcarificatione crurum cum hiru- dinibus ad hæmorrhoidas collata res eſt incertior; & ma gis dubia; cenſuerim tamen præſtare ſcarificationem cru rum hirudinibus; quoniam in illa ſanguis confertim ad- modum profluit; itemque ex pluribus venis; & longe ma iori præcedente apparatu ad attrahendum ſanguinem ex toto corpore. reliquum eſt modo, ut reſpondeam aduer- ſarij argumentis; & quidem quod attinet, ad aphoriſ. 25. lib. 4. nolo in præſentia cõmemorare quàm ſecus ac Gal. habeat Aldinus codex Græce; quam lectionem ſequutus eſt Valeſius; & Mercurialis quanquam Latine aphoriſ- mum reddidit ita, ut illum Gal. legit; è regione tamẽ Græ ce illum poſuit, longe aliter quàm Gal. eo ſcilicet modo, quo Valeſius. Galen. igitur lectionem ſequuti dicimus duplicem eſſe poſſe illius loci interpretationem ſecundũ Gal. prior eſt hæc; ſanguinem per inteſtina profluere ſiue

ab he-

ab hepate, siue aliunde; siquidem niger sit, hoc est siquidem sensim profluat, ita vt mora in transitu facta nigritiē quandam, & obscuritatem acquirat, bonum; hoc est; minus malum est; quàm si superne; hoc est per os effunderetur; Gal. altera interpretatio supponit Hippocratem lo qui de hæmorrhoidibus atrum sanguinem profundentibus; quæ res non raro contingit; sensus igitur secundum Galenum illius aphorismi est; accumulato in corpore nigro sanguine; bonum est illum per hæmorrhoidas effundi, dum niger est; hoc est dum decenter, & moderate effunditur; quod si profluuium hæmorrhoidale sit adeo vehemēs & copiosum; vt effuso prius atro sanguine; is quoque effundatur; qui niger nō est; quod accidit in hæmorrhoidibus immodice fluentibus; illud malum est; hæc interpretatio manifesta est ex Galeni verbis, quæ sic habēt; sanguinem inferne per hæmorrhoidas profluere bonum; quum nigra vacuantur. idest; quum hominis natura multum humoris huiusmodi accumulat; alioqui temere non est vacuationi per hæmorrhoidas assuefacienda natura; quippe quæ vtrunque excessum periculosum habeat; & quum vltra modum sanguis excernitur; & quum ex toto sistitur; hactenus Gal. qui eadem ad verba repetit lib. 3. de humoribus commen. 26. proindeque hæc eadem responsio valebit ad illum locum; quam esse verissimam, vel inde conijcias; quod Gal. accipit sanguinem vltra modum excerni; pro eo quod est, sanguinem excerni non nigrum; alioqui aliena diceret; & extra rem loqueretur; num enim necessarium est sanguine fluente nō nigro per hæmorrhoidas; hæmorrhoidale profluuium esse immodicum, & nimis copiosum? Ad alium locum Hippoc. responsio hæmorrhoidas bifariam posse intumescere; vel

naturaliter; transmisso ad illas à natura sanguine qui effluxurus est; vel præter naturam; & symptomatice; discrimen agnoscitur facile; quoniam naturalis tumor non excedit modum; neque illas qualitates habet, quas illic Hippoc. recenset; Hæmorrhoides igitur symptomatice factæ tumidæ non sunt vel ferro, vel igne, vel hirudinibus tractandæ; quoniam non est trahenda materia ad partē affectam; neque pars affecta euacuanda, nisi habita ante prouidentia de toto corpore; at longe secus se res habet; quum hæmorrhoides naturæ consilio intumuerunt; nihil ipsæ præter naturam affectæ; nisi quantum communi totius corporis salubritati necessarium est; atque hæc satis sint de secunda quæstione. Aggredimur nunc tertię quæstionis explicationem; tumescentibus symptomatice & omnino præter naturam hæmorrhoidibus non esse apponendas hirudines nisi curato ante, & perpurgato corpore iam diximus; at eædem si naturæ consilio tumeant; hirudines apponi vel maxime postulant; quoniam vt sæpe Hippoc. docuit; quo natura vergit, eo ducere oportet per conuenientem regionem. tumorem hæmorrhoidum esse naturalem, vel symptomaticum dignoscitur facile ex tollerantia facili vel difficili; ex aucto vel subleuamento, vel detrimento; ex dolore vel mediocri, vel immoderato; ex duritie aut rationali, aut scirrosa; & ex reliquis signis superuenientibus, quæ aut naturam, aut morbi vim sapiunt. scio ventriculi plenitudini valde conducere vomitum; tenesmoque clysteriorum vsum tametsi corpus nondum fuerit perpurgatum; non tamen hinc recte aliquis colligat, hęmorrhoidibus præternaturaliter tumidis conuenire euacuationem hirudinibus quæsitam; corpore nondum expurgato; quoniam ventricnlo, & intestinis

præter

præter naturam affectis; non sunt aliæ viæ quibus minuatur aut tollatur totius corporis cacochymia; nisi quas partes ipsæ affectæ præstare possunt; proindeque quod necessitate facimus; non est in legem & regulam trahendū; deinde possumus pro nostra voluntate modum ponere clysterijs, & vomitorijs medicamentis: illaque facere leuissima, si volumus; ne affectæ partes magis irritentur, & exasperentur illorum forte vi; & ne ex toto corpore humores praui ad illas præcipitent; easdemque possumus vicissim euacuare, & corroborare; citra necessitatem soluendi continuum; quæ rationes deficiunt nobis in apertione hæmorrhoidum; cum illæ præter naturam sunt affectæ. num vero hæmorrhoidibus nihil turgescentibus tuto apponi possunt hirudines? quid ni? etenim in nullo euacuationis genere si semel constiterit illud ex vsu hominis esse posse, & vel ad valetudinem cōseruandam, vel ad morbos profligandos plurimum conducere, necessarium est naturæ inuitamenta expectare; num enim deiectoria pharmaca non exhibemus, nisi venter ex se deijcere incœperit? num diuretica non damus nisi corpore per vrinam purgari cœpto? num sudorem non elicimus, nisi naturalis sudor vel mador præcesserit? Num deficientibus viribus naturæ, quibus graue pondus per conuenientem regionem à se excutiat; cessare propterea Medicus debet ab ea iuuanda, & degrauanda? hæc igitur sunt, quæ de tertia quæstione decernenda esse censeo; tempus est, vt ad quartam accedamus. quæ ex antecedētibus explicatu est facilis; nam si hirudines appositæ ad hæmorrhoidas sanguinis multitudinem possunt tollere; si valent præseruare à pleuritide, à peripneumonia, & morbis similibus; si non vnum sanguinem melancholicum necessa-

rio ſemper cum ſalubritate vacuant; ſi hæmorrhoidales venæ ad venam portam & ad meſenterium referuntur, quæ partes, velut communes quædam vitæ officinæ cum toto corpore conſenſum maximum habent; ſi eædem hæmorrhoidales venæ cum pectoris venis, quæ à caua ſunt rectitudinis legem ſeruant; quid prohibet hyru dines in quocunque morbo ad hæmorrhoidas apponere? Alexãder Trallianus libro primo cap. 7. in quocunque, inquit, morbo ex vena qualibet mitti ſanguis poteſt; cum ex ea cum qua pars affecta rectitudinem habet, ſecari non poteſt; quod ſicut Hippocr. ait confluxus vnus, conſpiratio vna; omnia conſentientia; hactenus Alexander; non tamen negauerim tum maxime efficax eſſe hoc remedium; cum origo mali in hepatis concauitate; vel in venis à porta originem ducentibus; ſicut è conuerſo crurum ſcarificatio maiorem quandam vtilitatem præbet, cum totius mali fons eſt vel in parte hepatis conuexa, vel in vena caua; quoniam ſicut hæmorrhoidales venę cum vena porta, ita crurum venę cum caua proximiorem quandam rectitudinem habent, quod de porta & caua vena dictum eſt; idem de ijs partibus dicendum eſt; quę per conſenſum cum caua, aut porta pręter naturam afficiuntur; exẽplum eſto capitis dolor; paraphrenitis, vertigo, &c. quę vtrinque proficiſci; proindeque pro cauſæ varietate; varium quoque è fonte chyrurgico remedium poſcunt. Ad quintam & vltimam quæſtionem pauciſſimis reſpondeo apertionem hæmorrhoidum eſſe remedium accommodatum in quacunque febre maligna; cum per vires non licet venam ſecare; quoniam vires vix debilitat, & infirmiores reddit, plenitudinem minuit, reuellitque potenter à corde, & capite; præſertim tamen ad rem facit in

mali-

maligna febre præsidium hoc; cum in partibus, quas dixi, hoc est in vena porta, vel in aliqua illarum, quæ à porta ducunt originem, putredinis, & malignitatis focus existit.

De vesicantibus medicamentis. Cap. VII.

MAGNA preteritis mensibus de vesicantibus medicamentis inter Primores Patauinæ scholæ Medicos lis extitit; illa quibusdam contra malignam febrem mirifice laudantibus; alijs omnino improbantibus; contendentibusque in hoc morbo non solum esse inutilia, sed etiam perniciosa; & valde noxia: ego nō is sum, qui de aliorum lite decernere debeam; dicam tamen quidquid mihi de quæstione proposita in mentem venit; non tanquam censor & arbiter Patauinorum Medicorum, quos certo scio sui nominis gloria & splendore minorum Medicorum authoritatem omnem obscurare, sed tanquam vnus de plebe, qui liberam de re qualibet philosophandi potestatem habet. Dictum est antea ex Galeno commen. primo in lib. de vict. rat. in morb. acut. tex. 9. & 3. in 3. epidemiorum commen. 20. hoc differre malignam febrem à pestilenti; quod illi qui laborant pestilenti febre; moriuntur maiori ex parte; illi qui maligne febricitant maiori ex parte euadunt; valetudinique pristinæ restituuntur; cum igitur ex Gale. mille in locis nullus sit morbus sui natura saluber, nisi cum signis concoctionis; cō sequens est, malignas febres ex humoribus fieri, qui vt plurimum recipiunt concoctionem; at humores

res dum coquuntur, neque veſcicantia, neque genus a-
liud euacuationis recipiunt; quia conſtantiſſimæ eſt ve-
ritatis generale illud Hippocratis pronunciatum, cocta
medicari oportet, & mouere, non cruda &c. dictioq; il-
la [mouere] agitationem, & euacuationem quancunque
ab ægri corpore excludit. quòd ſi aliquem admiratio ſu-
beat, ecquid cauſæ eſt, cur veſcicantia, & genus aliud ferè
quodcunque euacuationis ante cōcoctionem improbe-
mus, cum tamen Medici omnes & ſanguinem mitti de ſe-
cta vena; & cucurbitulas ſcarificatas adminiſtrari, & hiru
dines ad hæmorrhoidas apponi; & leniens pharmacum
propinari ante coctos humores iubeant? num enim hęc
facere, mouere non eſt? ſciat is eatenus ſolum euacuatio-
nes ante concoctionem humorum improbari; quatenus
illas præcedere ſolet ſecretionis opus, quod naturæ eſt
moleſtum & laborioſum; dum enim ſecernuntur à ſe in-
uicem humores, neceſſe eſt diſtrahi, diuellique vaſa, qui-
bus illi continentur; naturamq; non parum laborare dū
hos expellere, illos retinere; & vtroſque ſimul implicitos;
confuſoſque ſecernere, diſiungere, & diſſoluere ſatagit.
hincque ſunt anxietates illæ maximæ; quæ criticas eua-
cuationes præcedere ſolent. euacuationes quæ effuſo ſan
guine; & fœcibus excretis fiunt, nulla ſecretio aut præce-
dit, aut comitatur; ob idque viribus conſtantibus quocū-
que morbi tempore fieri tuto poſſunt; purgationem præ-
cedit neceſſario ſecretio quædam, quemadmodū & eua-
cuationes illas, quæ per frictiones, per ſudores, per bal-
nea, & per veſcicantia fiunt; illam quia purgantia pharma
ca non quemuis indiſcriminatim, ſed ſibi familiarem tan
tum humorem educunt; has; quia tenues ſolum humores
& ichores eliciunt; qui cum craſſioribus humoribus pe

mixti vagabantur; ob idq; frictio & balneæ liquant prius & attenuant, quàm euacuent; quia ichores non cederent præsidijs, nisi attenuatis & liquatis humoribus, quibuscũ permixti manent. postquam concocti sunt, vescicantia recipiunt multo minus; quoniam apparentibus notis perfectæ concoctionis præsidia illa tentanda sunt, quæ confertim & comodissime euacuent; qualis est euacuatio per aluum; vescicantia non euacuant nisi sensim, oblique, & imperfecte; eo quia viscera cum aluo, & vrina rectitudinem maximam, cum artubus minimam habent propter longinquitatem & anfractus viarum; vix sudor manans è toto habitu corporis æquare potest etiam si largissime profluat euacuationem illam, quæ fit per aluum; tantũ abest vt ex artubus vescicatis euacuatio seu potius exugatio generali per aluum euacuationi par esse possit. ex his facili negotio deducitur vescicãtia in febribus malignis vt plurimum non conuenire; nunquam scilicet quum ad concoctionem & ad salubritatẽ humores tendunt: quid vero si vrinæ pro salubribus insalubria signa præbeant? si cuncta ad perniciẽ tendant? si omnia interitum minentur? quid si adsint quidem notæ concoctionis in vrinis, non tamen ægroto vires suppetant ad ferendam purgationem, aut euacuationem aliam insignem? quid si cruditatis plenissima sunt omnia; videaturque natura iam facta languidior non posse humorum quibus præmitur, cõcoctionem aggredi, nisi illis pars aliqua decedat: tametsi perniciei & insalubritatis signa adhuc nulla subsint? hoc est tametsi adsint signa cruditatis, dum non adsint signa contraria signis concoctionis? voco autem signa contraria signis concoctionis, cum v.g. sedimentum, aut nubecula, aut appendiculum præ se ferunt, vel asperitatem, vel

pallo-

pallorem, vel liuorem, vel colorem atrum, vel fœtorem, vel magnam & inuictam perturbationem, vel quid simile; quod concoctionem significet vitiari potius, corrumpi, deprauari, & in malam rem duci, quàm non fieri. tres hosce maligne febricitantium status inter se toto cęlo differre nemo est Doctorum Medicorum, qui ambigat; proindeque sigillatim discutiendum, & examinandum est, quantum illorum quilibet ferat vsum vescicantium medicamentorum; ne confuse, & citra distinctionem re trãsacta imperitiæ à posteris coarguamur. ac primo primum statum consideremus; in quo haud dubium est è calore exurente & putredinoso illa omnia mala proficisci; quod si nemo morbo aliquo laborans seruari potest; nisi per humorum concoctionem; qui iuuari potest æger humorum parte quadam à visceribus ad artus transmissa; quando illi non copia, & multitudine, sed qualitate praua destinentur, quominus concoctionem recipiant? contraria contrarijs curari quis nescit? at reuulsio fluxionem; partitio multitudinem, qualitas contrariam qualitatem tollit: Quis dicere audeat humorem quempiam qualitate peccantem partitione, & non potius contemperatione emendari, & corrigi? Vescicantia certum est non solum non corrigere, sed etiam deteriorem, & acutiorem reddere putredinosum calorem; quocirca quando etiam concederetur vescicantibus vtilitatis aliquid inesse, quia noxium humorem diuidunt, partemque illius à partibus internis ad ignobiles partes protrudunt; multo tamen maior noxa est, quam calore acuendo inducunt vtilitate, quam partiendo, & diuidendo humore præstant; quantopere veteres Medici essent improbaturi vsum vescicantium medicamentorum in febre maligna, nunc si viuerẽt

constat

constat ex Galeno qui lib. 11. methodi cap. 9. iubet abstinere in magna febre à frictionibus quæ vim habent mediocrem rarefaciendi cutem & ex Aetio atque ex Oribasio quorum ille tex. 1. serm. 3. cap. 181. ex Archigene hic libro decimo collect. medic. cap. 13. ex Antyllo notant synapismum in acutis morbis non probari, nisi cum æger natura est segniori, & stupida; quis vero dubitet acutius vrere vescicantia quàm synapismum? quanquam non facile concesserim per vescicantia medicamenta humorem qui febrem facit malignam è putredinis foco ex parte auferri, indeque ad artus pertrahi tum quia inuictæ sunt in affecta parte & in itinere obstructiones per quas humorum transitus impeditur; & intercipitur; tum quia constanter philosophi docent cum duo agentia trahunt aliquid ex contrarijs & oppositis partibus, in eam partem inclinare tractionem vbi agēs quod trahit, potentius est, & efficacius; at focus putredinis & maiorem calorem habet, quàm medicamenta vescicantia; proindeque trahit efficacius; humorque trahendus propior est multo putredinis foco calidissimo, quàm artubus, quibus vescicantia affiguntur. quod si respondeat aliquis ope vescicantium medicamentorum sisti fluxionem crudorum humorum qui ad putredinis focum excurrunt rapique illos in contrariam partem antequàm ad putredinis focum ducātur; vbi obstructionem, & putredinem; augere possunt; hic quoque intelligat se parum acute philosophari; quoniam qui vescicantia medicamenta laudibus efferunt, non crudos, sed putres, sed virulentos humores per illa credunt exhauriri. & vehemens fluxio fit præcipue in principio morbi; quando natura nondum sollicita est de retinendis humoribus, qui concoqui debent quo tempore nemo so-

let confugere ad medicamenta vescicantia; quia nondũ constat num febris sit futura maligna; dicunt alij vescicantia trahere fortius quàm calorẽ in quo putredinis focus consistit, quòd effunduntur humores à vescicantibus tracti; effusioque illa tractionem adiuuat; per successionemque portis post partem fit, vt humores quoque qui in affecto viscere impacti obstructionem faciunt à vescicantibus trahantur: subdunt ijdem; eo tempore quo vescicantia affiguntur; firmatam iam esse in putredinis foco obstructionem; obstructionemque firmatam impedimento esse calori, qui velut conclusus & sopitus cineribus est; quominus à remotis partibus trahat. qui & ipsi in errore maximo versantur; quoniam ex partibus vescicatis non effunduntur, sed exsudant tantum ichorosi humores; qui æque exsudare possunt ex illis locis in quibus malignę putredinis minera est; phlegmone illic facto vel erysipelate. quod vero subnectebant, alienum est ab omni veritate; quia neque firmantur vnquam obstructiones sic, vt morbo ad perniciem tendente, non semper augescant, & maiores fiant; hincque fit vt ex veterum Medicorum instituto rationales Medici febres cuiuscunque curationẽ ita instituant, vt quocunque febris tempore de futura febre inhibenda non minus solliciti sint, quàm de ea tollenda quæ præsens est. neque verum est febrilem calorẽ posse concludi ita obstruentis humoris multitudine tanquã cineribus quibusdam sopitum; vt tractionem ex proximis partibus minime possit exercere. id enim si esset; repente, & momento temporis per suffocationem; non sensim per inductum ardorem innatus calor opprimeretur; & consumeretur. quid vero si in principio morbi vescicantia applicentur, reuulsionis ergo; quando natura non-

dum

dum retinet vt concoquat; si quidem ex generali constitutione suspicio maxima sit ægrotum febre maligna esse laboraturũ? Respondeo partim sufficere, in morbi principio reuulsiones quæ per sectam venam; per cucurbitulas scarificatas hyrudines applicitas hęmorrhoidibus fiũt partim reuulsionem vescicantibus quæsitam esse eo tempore non modo inutilem, sed etiam exitiosam. ratio est duplex: vescicantia non reuellunt nisi dierũ aliquot mora; paulatimque & sensim; at periculum est ne natura interea aggrediatur retentionẽ humorum, quos concoctura est; & ne rudimentum aliquod concoctionis incipiat; quæ certum est impediri per vescicantia. deinde febris maligna vt plurimum fit ex crassis humoribus; at vescicantia ichorosos, & tenues tantum humores educunt; his vero eductis redduntur illi crassiores, pertinaciores, siccioresque, & minus diluti. Dicam vero quid plurimos Medicos deceperit; viderunt interdum grauia vlcera tolli & curari facile per vescicantia medicamenta vicinis partibus applicita; indeque collegerunt par auxilium ex medicamentis vescicantibus contra malignam febrem futurum; qui non considerauerunt disparem multo esse rationem externi vlceris, & malignæ febris, tum positione & rectitudine erga locum in quo vescicans medicamentum affigitur tum etiam calore; contra quos sic possum retorquere argumentum; vescicantia artubus affixa nihil prosunt vlceri pulmonis, ergo minus febri, quæ in æstuosis visceribus sedem habet prodesse possunt. Maligne febricitantibus, quibus concoctionis notæ adsunt omnes, sed cum tanto virium languore; vt spes nulla sit, illos validiorem vllam euacuationem perferre posse num prosunt vescicantia? euacuatio quælibet etiam illa quæ per

viam non ſatis congruam educit. minus obeſt poſt quam ante concoctionem; quia id mille in locis Galenus teſtatus eſt: ſi tamen quæratur ecquod euacuationis genus ægroto poſt morbi concoctionem ſit conducibilius; illiuſque vires iam factas languidas minus deijciat; audacter reſpondeo præferri oportere omnibus alijs euacuationibus illam, quæ fit per conuenientem regionem, ideſt qua natura vergit; quæ peccantem & morbi proprium humorem è corpore expellit; & quæ denique minimum perturbat principes partes, in quibus præcipuarum naturæ virium ſedes eſt; veſcicantia medicamenta poſſunt illa fortaſſe ventriculum caput, iecur, & cor minus perturbare, quàm purgatoria pharmaca; eo tamen digna ſunt maxime, ut improbentur; quia neque unum potius quam aliũ humorem; neque per conuenientem regionem euacuãt; regionis conuenientia, & ſingularis illa humoris eductio qui morbum faciebat quantum faciant ad facilem tollerantiam; cuius in Hippocratis doctrina etiam mediocriter exercitato puto perſpicuum eſſe. non habere ueſcicantia uim euacuandi humorem hunc potius quam illũ; omnes credo mihi ultro & ſponte eſſe conceſſuros; eadẽ non euacuant per conuenientem naturæ regionem, niſi forte cũ in corpore vlcera apparent imperfecte iudicantia. ex quibus vnis Medicus intelligit expoſcere naturã vnum hoc præ alijs euacuationis genus; quo veriſimile eſt peccantem quoque humorem tum educi, qui in illas partes vergit critice & naturaliter tametſi imperfecte. dixi (forte) quia ſatius putarem in eo ſtatu ulcera iam apparentia maiora, & ſordidiora facere; quam eleuatis ueſciculis noua ulcera excitare; quod mihi certum ſit conſilium huiuſmodi conſentaneum magis & ac-

com-

commodatius tum fore naturæ instituto. quod si aliquis obijciat uescicantia per conuenientem regionem euacuare; etsi natura ad cutẽ nõ pertrudat humores qui morbũ faciũt, qñquidẽ fonticuli corporibus nõ satis valentibus maxime prodeunt; materiãq; non bonam per cõuenientem regionem euacuant; tametsi illa ex naturæ instituto ad fonticuli locum non vergat; sciat is primum fonticulos longo tempore indigere, vt partem, in qua positi sunt debilitent; atque vt ex debilitate illuc humores confluere faciant: à qua temporis longinquitate absunt maxime vescicantia: deinde eosdem ita afficere partem, in qua sunt; vt in toto corpore languidior pars non possit reperiri: at in febribus malignis impossibile est, vt affectio prę ter naturam à vescicantibus cuti inducta malum æquet; quod in viscerib. & intimis p̃cordiorũ sedibus grassatur. quid vero est, quod tñ in vescicãtibus spei collocetur, vt ægri vires integræ seruentur; quando clysteria; diuretica; lenitiones alui & leuissimæ quædam purgationes magis iuuant, fructuosius ac forte etiam copiosius euacuant; & minus eijciunt vires, quàm vescicantia? videri possit alicui, Galenum nunc si viueret, fuisse laudaturum vsum vescicantium post signa concoctionis; quia libro 11. de methodo medendi cap. 20. scribit licere in febris declinatione; ægrotum ad balneas ducere; subditque; si inferioris notæ partium aliqua sit inualida, veluti podagricis pedes, & ijs, qui articulari vitio laborant (arthriticos Græci vocant) vniuersi corporis articuli; maxima salutis pars ægro ex balneo cõparabitur; ipsis infirmis partibus quæ superuacua sunt, excipientibus; assolent enim nonnunquam & citra balneum superuacanea in partes infirmas confluere; à balneo vero magis, vtpote tum succis ipsis

per

per id liquatis, tum vijs per quas mea nt patefactis; hacte nus Gal. reuera tamen res non ita habet; tum quia differunt maxime vescicantia medicamenta, & balneæ; humectat enim balneum; incidit; liquat; & æquabiliter digerit acrem ac tenuem humorem vt disertis verbis Gal. docet lib. 2. simplic. cap. 25. & lib. 8. de methodo meden. cap. 3. à quibus virtutibus longe absunt vescicantia; tum quia in podagricis, & arthritide affectis vergit natura ad artus & articulos; illi vero qui vescicantium vsum laudibus miris tollunt; nihil adducere possunt, quod ostendat naturam in maligne febricitantibus ad illas partes vergere; quibus vescicantia affigi solent. Tertius ille maligne febricitantium status nunc est in examen adducendus; in quoprobabile videtur congruere maxime vescicantia; quia Medicus quisque debet in medendo naturæ prouidentiam imitari; at natura cum humoribus premitur, siue calidis, siue frigidis quos vel ob illorum contumaciam, vel ob propriam languiditatem coquere non potest; abscessus tentat in partibus ignobilibus; idem ergo & Medicus præstare debet. videntur autem vescicantia non inepte abscessibus respondere; tametsi enim tumores, & bubones, qui in ægroto inducuntur, augentur, fouentur, maturantur, expurganturq; Medici arte & industria abscessus naturæ verius æmulantur, quàm vescicantia; haud tamen negandum est; vescicantia quoque maximam cũ naturæ abscessibus conuenientiam habere; quòd abscessus à natura facti sint valde expetendi in maligna febre; vbi humor coctu est contumax & difficilis; ostendunt facile sequentes Gal. & Hippoc. loci; Gal. lib. 3. in prognost. Hippoc. commen. 24. sæpenumero (inquit) dictum est; quod morbi, quos humores committunt calidiores cum

ægri

ægri viribus valentioribus per excretionem iudicentur; his contrariæ ſunt affectiones, in quibus facultas debilis eſt; & humores frigidi; qui nec excretione, nec abſceſſu iudicantur; ſed aut corrumpunt ægrum, aut perquam longo temporis ſpacio vix concoquuntur: porrò inter has mediæ intercidunt, quæ per abſceſſum iudicantur; in quibus ex duabus dictis oppoſitionibus alterum ex altera, alterum ex reliqua eſt: duæ enim oppoſitiones exiſtunt, è quibus altera ſecundum naturam humorum, altera ſecundnm vires habetur; atque in alterutra earum, duo inter ſe opponuntur; ex humoribus quidem calidi frigidis; ex viribus fortes debilioribus; ſi igitur humores calidi ſint, non oportet facultatem validam haberi; ſi abſceſſus quiſpiam futurus eſt; ſi uero frigidi, facultate opus eſt ualida ad abſceſſum; hactenus Gal. qui commen. 23. eiuſdē libri ſimilem ferè ſententiam habet, dum ita ſcribit. Humores crudos, & concoctu difficiliores natura aſſolet in partē quandam ignobiliorem expellere; quoties per excretionem expellere extra corpus non queat: ſæpe enim dictum iam eſt; quod humores corporis calidiores, tenuioresque paratiſſimi ſint ad excretionem; crudis vero, & craſſis aut per abſceſſum, aut per ſympepſim, ideſt concoctionem natura medeatur. & lib. 2. prognoſt. commē. 65. affectus (inquit) prædictos quonam modo aliquis præſentiat Hippoc. docet in gemina diuidens orationem, ita vt prima pars eius indicet fore abſceſſum; ſecunda uero utrum ſupra thoracem, an infra præcordia; itaque exordiamur & nos à prima parte, in qua ſumma eſt, morbum eſſe concoctu difficilem, non tamen exitioſum; non enim ſi concoctu facilis ſit, per abſceſſum; ſed aut per excretionem, aut ſenſim ſoluetur concoctus; neque ſi exitioſus

exiſtat;

existat, aliquis abſceſſus bonus apparebit: quocirca medius inter mitiores ſit,& exitioſos oportet. ex his omnibus Galeni locis perſpicuum euadit,abſceſſus à natura factos non eſſe incommodos in febre maligna;quæ eſt morbus inter mitiores,& exitioſos medius; fit ex humoribus calidis,craſſis; & concoctu difficilibus;ſoletque coniungi cum naturæ viribus languidiuſculis. idem eſt multo manifeſtius ex Gal.atque ex Hippocr.etiam; qui lib. primo de morb.vulg. ſect.2.commen.38.& 39. ſcribunt naturã in aliquibus qui non ſolum maligna, ſed etiam peſtilenti febre conflictabantur tentaſſe abſceſſus in partibus ignobilibus vt morbum ſuperaret; non tamen valuiſſe; manifeſte innuentes bene agi potuiſſe cum illis ægrotis; ſi natura abſceſſus,quos incęperat,perficere quiuiſſet. quanquam quid opus eſt probare abſceſſus magnopere conducere in maligna febre cruditatis tempore à natura factos vt hinc colligatur veſcicantiũ vſum morbo hoc crudo exiſtente non eſſe aſpernandum;quando certiſſimum eſt tum malignas, tum peſtiferas quoque febres ſalubriter ſæpe vlcera externa comitari cum quibus veſcicantia ſimilitudinem habent vel maximam? Hippoc.libro 2.de morb.vulg.ſect. 1.prope finem,quæ (inquit) fiunt vlcera, & iudicant febres,& tubercula:quibus hęc non accidũt, ſublata iudicatio. quibus vero interius relinquuntur; his certiſſimæ reuerſiones,& celerrimæ. Adducunt alij teſtimonium Thucididis; libro 2.hiſtoriarum itemque Hipp. & Gal.3.in 3.epidem.commen.25. 3.in primum ægroto 2.commen.19.ægroto 3. commen.20. & ægroto 9. commen. 76.& lib.5.metho. cap.12. quanquam vt verum fatear omnes hi loci in quibus mentio fit vlcerum, manifeſte habent non cruditatis tempore, ſed poſt coctionem

illa

illa contigiſſe; proindeque extra præſentem diſputationẽ ſunt. iam enim diximus admitti poſſe veſcicantia; cum vlcera critice apparent; & imperfecte iudicant; quòd ſi morbus ſit adhuc crudus; diſpar longe conſiliũ eſt, quod de excitandis veſciculis in artubus initur. quod enim adducebatur debere Medicum in medendo naturæ prouidentiam imitari; non ita eſt accipiendum; quaſi quod natura in vno morbo ſemel, & fortaſſe etiam præter ordinem, & communẽ curſum fecit, Medicus ſemper in morbo ſimili per ſe, & præter naturæ propenſionem facere ſolus debeat: id enim ſi ſemel concedatur, grauiſſimi & maximi in Medicina facienda errores committẽtur; vt cuiuis perſpicuum eſt; ſed pronunciati ſenſus eſt; qno natura vergit, eo Medicum ducere oportere. v.g. ſi natura tumoris imperfecti in inguinibus ſigna det; fouendus oleo locus, eleuandusque & excitandus tumor; vt naturam adiuuemus; idem eſt aſſerendum de vlceribus; ſi quidẽ hæc morbi etiamnũ crudo naturæ vi, & non potius morbi impetu prodeant; naturæ propenſione nulla apparente; ea facere & tentare Medicus potiſſimum debet; quæ in magna conſilij anguſtia cum ratione maxime conſentiant: qualia ſunt promouere concoctionem; ſeruare robur; retundere prauam qualitatẽ morbi; præſeruare cor; & ſimilia; re prorſus deſperata, non improbo vt ad leuem aliquam euacuationem cõfugiatur; ne hoc vno remedio prætermiſſo, quod anceps eſt, ægrotum deſeruiſſe videamur; atque vt humori principem partem obruenti, ſicq; ſæuienti, & ferocienti deceſſio aliqua fiat. ſed tamen eſt animaduertendum; vt ex euacuationibus multis illa religatur; quæ ægroto æſtum, & afflictionem non augeat; quę cum putredinis foco maiorem rectitudinem habeat; quæ prompte & ſine labore euacuet; quæ ventrem leniat

magis, quàm corpus purget; quæ naturam inuitet potius ad euacuandũ, quàm irritet. quæ denique quàm minimũ incommodet, & quamplurimum commodet ægroto: hæ vero conditiones desunt semper vescicantibus, nisi cum ad illa propensionem natura habet. At quomodo (dicet aliquis) ante coctionis notas constare poterit Medico à natura esse, & non à morbo abscessuum vel vlcerum principium? nonne quidquid critice non fit, symptomatice fit necessario? vnum vero id quod fit symptomatice põt esse à natura? verissimum est quidquid non fit critice, fieri necessario symptomatice; non tamen est verum nihil fieri à natura qđ fit symptomatice quia in morbis acutis qui sunt difficilis iudicij, abscessus à natura sunt, quũ conferentiam, & tollerantiam ægroti, comitem habent; qui tamen non fiunt critice, sed symptomatice; quin sæpissime accidit in morbis acutis etiam illis qui perfecte iudicantur; vt euacuationes aliquæ præsertim eæ, quæ tempore solum sunt symptomaticæ, morbi autem propriam materiam euacuant, à natura sint; magnumque ægroto sublevamentum afferant. lib. 3 de morb. vulg. sect. 3. ægroto 6. Pericli sanguis profluxit è naribus copiosus primo die; qui tamen non est iudicatus; & non habuit signa cõcoctionis nisi quarto die; scribit quidem Gal. libro primo de crisib. cap. 8. neque sudores, neque vomitus, neque alui excrementa, neque tumores post aures, neque profluuia sanguinis per crisim ægritudines finire si fiant ante concoctionis tempus; non tamen scribit ante tẽpus concoctionis facta semper lædere. Chærion de quo Hippoc. lib. 3. de morb. vulg. sect. 2. ægroto 5. perpetuo habuit deiectiones biliosas, paucas, merasque, & proinde crudas; quas tamen verisimile est à natura fuisse, non à morbo, quia die 20. seruatus & iudicatus est; quanquam enim

deie-

deiectiones illæ tempore essent symptomatice, quia ante concoctionis tempus fiebant; educebant tamen propriã morbi materiam; cum subdat Gal. in commento hunc ęgrotum ex abundantia, & maxime biliosorum humorum ægrotasse. euacuantur critice quæ concocta & secreta pellit natura; retentrice, quæ concoctrici ante subseruiebat; iam tunc quasi peracto opere cedente expultrici; sed & antequam concoquantur, quæ adeo acria sunt, aut maligna, vt natura irritationem ferre non possit; cogunt expultricem insurgere ante tempus; quod nihilominus naturæ opus est, & si nimis irritatæ; vt docte & prudenter monet Franciscus Valesius lib. 2. metho. meden. cap. 13. duo sunt genera signorum, ex quibus dignosci potest in quocunque morbo hoc est seu futuro difficilis iudicij, seu perfecte iudicando; de symptomate aliquo; illud à natura vincente esse & non à morbo naturam opprimente; ad primum genus referuntur conferentia & tollerantia; ad secundum signa salutaria; de quibus ita Hippocr. 2. prognost. tex. 65. consideranda vero, & talia sunt in hũc modum: si febris detinet; & dolor non desijt; & screatio non excernitur ex ratione; neq; biliosæ fuerint alui deiectiones; neque solutiores ac synceriores fiant; nec vrina admodum multa, & crassa, ac multum obtinens sedimentũ; promittitur vero salutaris ab omnibus alijs signis salutaribus his tales fore abscessus sperandum est. quid differãt salutaria signa à signis criticis & à signis perfectæ concoctionis, alterius loci est disputare. hæc de præsenti quæstione; sed antequam receptui canamus; mihi statutum est expendere locum quendam Gale. cap. 2. lib. de hirud. reuul. cucurb. & scar. qui vescicantibus videtur magnopere fauere. is vero ita habet. Acria quoque medicamenta

artubus admota eas fluxiones retrahunt, quibus caput, aut viscera vexantur: legimus nos [artubus] non (finibus) vt Ferdinandus Balamius reddidit; quia vt vir quidam doctissimus recte notauit; verisimile est Græcũ contextum esse deprauatum; atque vbi legitur [κόλποις] legendum esse [κώλοις] certum est Galenum per acria medicamenta nõ intellexisse vescicantia; quæ omnino ignorauit; cum illorum nullo loco aperte meminerit; sed medicamentum ex palumbiũ stercore cuius meminit lib. 5. methodi cap. 13. ceratum ex thapsia cuius meminit eodẽ loco; sinapismum, de quo ita scribit lib. 3. de loc. aff. cap. 4. sinapismo nullum medicamen in arte Medica violentius inuenies; siquidem dolorem veluti cauterium excitat; sed diutius durat eius operatio. & id genus alia. ex ac.ib us igitur medicamẽtis sinapismi vsum examinemus, quod Galeni iudicio in arte Medica est vehementissimũ; videamusq́ue num ex vsu sinapismi antiquorum aliquid colligatur, quod vescicantium in febre maligna vsum cõprobet. Antiqui vt pauloante monuimus abstinebant à sinapismo in morbis acutis semper, nisi cum ægroti natura segnis erat, & stupida; nihil igitur facit Galeni hic locus ad vescicantium commendationem. Item non poterant acria medicamẽta artubus admota fluxiones ad caput & viscera retrahere, nisi aut segnes & assiduas, aut nõdũ firmatas; secus enim veteres pro more non habuissent, illa in magnis & inueteratis capitis fluxionibus ad caput ipsum apponere deriuationis ergo; quia remedium fuisset nimis temerarium, & nimis violentum; at illi qui vescicantibus vtuntur in febre maligna, credunt illorum ope non solum retrahere fluxiones; sed etiam euacuare à visceribus impactas iam, & firmatas obstructiones; quorum consi-

consilium longissime abest à Galeni, & veterum Medicorum instituto; vt perspicuum est. Poterant denique acria illa medicamenta antiquorum admota artubus retrahere fluxiones quæ ad caput vel viscera ex illarum partiũ languore & debilitate fiebant. quum scilicet affectæ parti ad excipiendum solum promptitudo maxima inerat: at viscera in maligna febre, præter hanc causam habent aliam maiorem & efficaciorem multo; calorem nempe validissimum & vrentissimum: cuius attractioni necesse est cedere attractionem illam, quæ fit per acria,& vescicantia medicamenta; vt paulo ante monui.

De frictionibus, & inunctionibus. Cap. VIII.

FRICTIONES factas ex oleo aliquo mediocriter calido vim habere rarefaciendi cutim; testis est Gal. lib. 11. methodi cap. 9. ex quo loco coarguuntur manifeste imperiti quidam,& è vulgo Medici;qui ideo improbant Aetio attributas inunctiones, in publicis de febre maligna consultationibus;quòd vereantur; ne olei (vt inquiunt) vnctuositas cutim constipet, & obstruat; non me latet quidquid pingue & vnctuosum est; facile cuti inhærescere; eandemque non minus facile peruadere & penetrare; proindeque augere fortasse & crassare; quoquomodo illius molem; quòd cutis & oleum simul maius & crassius corpus faciant,quàm cutis sola. vt videtur; in cuius rei confirmationem videtur facere illud quoque quod scribit Aristo.lib.4. meteorolog. cap.

cap.7. aqua ſcilicet & oleo inter ſe commiſtis; id, quod conficitur, vtroque ſeparatim craſſius reddi. maior fiet dubitatio ſi conſideres oleo,& rei cuiuis vnctuoſæ lentorem quondam naturalem ineſſe. propter quem illius humidum difficile reſoluitur; hic lentor euaporationẽ prohibet rei quæ inuncta eſt; arcetque ab eadem externorũ corporum iniurias; atque hinc fortaſſe fit vt pleraque vt caſeus & farcimina ex ſuilla carne conſeruentur optime, oleo immerſa; vel ſaltem eo copioſiſſime inuncta; quæ alioqui citius corrumperentur; ex Ariſt. hæc colliguntur qui loco citato diſertis verbis hæc habet oleum cum ab vtroque hoc eſt frigore & igne craſſeſcat; à neutro exiccatur; non ſolum,quia lentum eſt; ſed etiam quod aereũ. ibidemque innuitur non obſcure oleũ permixtum aquæ præſtare illi cauſam craſſitudinis,ſuo lentore aquę partes continens,prohibensque euaporationem; atque ita extenuationem. ſed quid Ariſtotelem nomino? quanquam Gal.loc. citato oleo camomelino vim tribuit diſcutiendi & rarefaciendi cutim; quam vim lib.9.de comp.med.ſec. loc.cap.1.tribuit nõ ſolum camomelino ſed etiam anethino;& cicino. quanquam libro primo ad Glauco.cap.15. idem repetit inquiens euacuat atque diſſoluit, & oleum calidum ipſum per ſeipſum; magisque ſi antiquum fuerit; vel ſicyonium aut anethum in ipſo ebullierit;nã multitudo humorum,qui non admodum ſunt craſſi atque tenaces; ſufficienter per huiuſcemodi euacuatur; ſed & ſi ſpondylion,vel ſerpyllum intus decoxeris, aut pulegij comam,vel calamenti,vel menthæ,vel ſiſymbrij; ita; etiam id quod craſſius eſt,euacuabis. & quanquam lib.4.de ſanit.tuen. cap.8. idem rurſus inculcat ita ſcribens oleum, quod ex chamemælo fit, ſuccos quicunque non admodũ

craſſi,

crassi, nec lenti in carne, cuteque resident; euaporat. libro tamen 2. de simpl. medicamen. facult. cap. 18. euidens (inquit) luce clarius omnibus hominibus est; quod frictio ex oleo magis quàm sicca lassitudinem aufert; corporaq; emollit; cohibens, occludensque quidquid è nobis foras effluere est natum; haudquaquam digerens & exiccans; id ipsum & Diocles confessus est; vt qui oblinere poros oleum dixerit; quæq; effluunt cohibere; tum coria emollire. hactenus Gal. qui alijs locis ipse seipsum exponit; docens quando oleũ rarefaciat cutim; & quando eandem obstruat potius, atque occludat. lib. 2. de simplic. medicamen. facult. cap. 25. oleum inquit, mihi videtur esse medium inter humectãtia nos, & exiccantia; velut inter excalfacientia & refrigerantia medium consistere supra demonstrauimus; humectat enim aqua, exiccat vero tum laurinum, tum cedrinum oleum: at quod simpliciter sic admouetur; citra vllam videlicet ex arte conciliatam à nobis aut caliditatem, aut frigiditatem; talem seruat nostram temperiem, qualem scilicet, accepit; quàm fieri possit maxime vaporosas omnes corporis expirationes prohibens; porrò si plusculum membra frices oleo; calorem ex frictione adscititium comparabis; atque hac interim ratione lassos non parum iuuabis; partim quod in minutos corporis meatus pingue ingrediatur; & quæ indurata sunt, emolliat partim quod humiditatẽ acrem, ac subtilem, quæ in lassitudine ex colliquatione proueniens, sub cute latebat, per halitum caliditate digerat; lib. 3. de compos. med. per gen. cap. 2. nanque in primo (inquit) de simplicib. medicam. volumine didicimus; vt aqua in eo quod calens aut frigida sit; maxime contrarie facere nata est; ita quoque oleum; nam frigidum corpori admotum perspi-

ratum

ratum quodammodo ipsius obstruit; immo prohibet; calidum vero digerit, ac extenuat; quod tibi etiam ex carnibus in eo coctis licet condiscere; similiter enim vt præ rancidas friabiles efficit; & si protinus cum animal mactatum est, in eo coquas; aut sartagine frigas; & lib. 6. de methodo med. cap. 2. demonstratum (inquit) à me est; oleũ, si frigidum applicetur; tenues meatus obstruere; sin calidum, digerere; hactenus Gal. ex cuius luculenta doctrina discimus; oleum quod calens applicatur cutim dilatare, extendere & rarefacere; hancque dilatationem & rarefactionem esse longe maiorem quàm sit additio corporis ad corpus hoc est olei ad cutim; atque amplius dico oleum non esse crassius cute; proindeque sicut aer aeri iunctus similecque additum suo simili non reddit illud, aut crassius, aut subtilius, sed solum addit extensionem; ita oleum &c. quod scribit Arist. de oleo & aqua inter se commistis, ad frigidum oleum est referendum; non ad calidum. at si oleum calore crassescit; si idem ex calfactum defendit se lentore suo ab ignis exiccatione; qui fieri potest vt Galeni doctrna cum doctrina Arist. hac in re consentiat? Respõdeo calorem reuera nõ imminuere, sed augere olei crassitiem, & fortasse etiam lentorem; non tamẽ hinc fieri vt oleum vim incrassandi & prohibendi expirationem maiorem habeat; quoniam oleositate sua calorem facile recipit; est enim temperatum; ac reum, & inflammabile; eundemq; semel reçeptum fixius & pressius ob lentorem retinet; atque is calor potentior est; quam vt illius actionem vel crassities olei, vel eiusdem lentor impedire possit; immo quanquam crassior olei fęx calore fit crassior; eiusdem tamen excrementum illud quod liquidius est (de his duob. olei excrementis legatur Gal.

libro

libro 2.simplic.cap.17.)& liquor ipse naturalis olei, igne, & calore tenuiores fiunt. hinc Gal.libro primo de comp. med.per gen.cap.4.scribit oleum vetustate fieri tenuiorũ partium; & euadere efficacius ad digerendum; qui lib.2. eiusdem operis cap.12.& lib.7.de alimen.facult. cap.11. scribit contrarium, oleum nempe vetustate fieri crassius; quod tamen contradictionem nullam habent; quoniam ad diuersas olei partes sunt hæc duo referenda;sicq; conciliantur Galeni loci. his de frictione & perfusione ex oleo vniuersim dictis; videndum est, quibus legibus Gal. lib.11.methodi cap.9. frictiones ex oleo in putrida febre admittat. ille vero tres sunt; prima est; vt corpus totum ante fuerit vacuatum; quod etiam repetitur cap.15.eiusdem libri. secunda vt oleum sit ex ijs, quæ vim obtinent mediocrem calefaciendi, quale est chamomelinum; tertia vt febris non sit magna,& valde exurens. quod ad primam legem attinet certum est ex Gal.sect.4. aphorismorum commen. 2. & plerisque alijs in locis corpus totum æqualiter vacuari non solum accepto pharmaco;sed etiã misso sanguine. secunda lex ea ratione sancita est à Galeno; ne vsu illorum medicamentorum quæ fortem & validam,acremque rarefaciendi cutem vim habent; corpus febricitantis nimiũ exiccetur;quæ res duplex habet incõmodum; alterum quod cutis paulopost ex violenta exiccatione magis cogitur & magis densatur; alterum quòd exiccatio omnis modum excedens febri contraria est, quæ frigidis, & humectantibus curatur; calidis & exiccantibus magis acuitur; quisque igitur Medicus in frictionibus,quas iubet eò animum aduertat,si æger febricitat; vt laxet potius cutem,quàm exiccet; num ergo Aetij vnctiones conueniunt in febre maligna? dubitationis cau-

ſam affert nitrum, quod haud dubie in numero eſt illorum, quæ ſupra mediocritatem calefaciunt, & exiccant. videturque Galenus ſi viueret, illas minime probaturus; quoniam lib. 2. de ſimplic. med. facult. cap. 25. ſimile medicamentum appellat abſolute, & ſimpliciter exiccans. illius verba hæc ſunt. vbi cum oleo aqua contunditur; teriturque; haud facile ſolubili miſtione coit; vt quibus ita corporibus inungatur oleum; neceſſe ſit, & pluſculum inhærere aquam: quare hic item velut materia eſt quædam oleum humectantium, exiccantiumque; ſicut ante oſtenſum eſt excalfacientium, & refrigerantium: quippe quod ſi exiccanti commiſceas, totum effeceris exiccans; ſin humectanti; & ipſum humectans reddideris; ſæpeque quod ex ambobus conſtat; maiorem adipiſcitur humectandi facultatem; quàm id quod primario eſt humectans; quod in aqua accidit; nam ea primario madefacit; verum cum haud ita diu inhæreat; nec actionem obtineat diutinam, leuiter vtique prodeſt; cum ergo illic velut vinculum fiat oleum; cogatque plurimum, quibus auxilio eius opus eſt, inhærere; longe omnium optimum redditur remedium exiccatis, ſqualidiſque corporibus; ſed ſi exiccans oleo medicamine commiſceas, puta chalcitim, pyrethrũ, gallam, ſtruthion; ſiccans erit, quod ex vtroque commiſſum fuerit. hactenus Gal. tertia illa lex ob id lata eſt à Galeno; ne ſcilicet ex motu, & ex vicinia rei calidæ calidius reddatur ægri corpus, quod per ſe ipſum eſt calidiſſimũ; ex his colligo Galenum nullo pacto ſi viueret probaturum fuiſſe Aetij celebres illas & vulgatas ad febrem malignam inũctiones. his accedit alia ratio, quod frictio incidat quidem & attenuet magis balneo; non tamen à balneo diſſimilem admodum facultatem habeat; quin

balneum

balneum trahit magis ad externa, quam frictio; eademque ſuccos magis liquat; at de balneo loquens Gal. libro tertio aphoriſmorum commen. 15. quæ inquit fit per balneas euacuatio parua eſt; & ſolam ferè cutem euacuat; quæ autem ſunt per carnes & partes ſolidiores diſperſæ ſuperfluitates haud ſufficienter balneis euacuantur; ex quo loco ſic argumentor; in febre maligna obſtructiones maximæ contingunt circa venas, & circa viſcera; ad quas quæ per frictionem fit attenuatio non poteſt peruenire; quorſum igitur in maligna febre frictionibus vti? de inunctionibus, & extra appoſitis medicamentis contra malignam febrem; ne vitæ arcem, ideſt cor adoriatur; agetur cap. de medicamentis cardiacis.

LIBRI SECVNDI FINIS.



DE NATVRA, ET CVRATIONE MALIGNAE FEBRIS LIBER III.



De humorum concoctione in febre maligna. Cap. I.



PHARMACEVTICA præsidia, vel promouent humorum concoctionem; vel illos ad expulsionem disponunt, incidendo, attenuando, atque fluxiles reddendo; vel tollunt ab ijs nocentem aliquam & prauam qualitatem, v.g. summum ardorem, excedentem humiditatem; malignitatem &c. vel principes partes tuentur ab humorum noxa, v.g. malignitate &c. vel denique humores iam dispositos & attenuatos euacuant. quæ pharmaca virium conseruationi dicata sunt; non ad hunc locum, sed ad fontem diæteticum spectant; è quo virium custodia primo & per se petitur. Circa primum caput tria præsertim quærenda occurrunt; primum est quid sit promouere humorum concoctionem; secundum est, num in febre maligna sit inuitanda natura ad hu-

ad humorum concoctionem, vel auocanda potius, & distrahenda ab hoc munere; tertium est num in febre maligna liceat humores qui morbum faciunt, euacuare medicamento, antequam ij concocti sint. De primo sic statuo; promouet Medicus concoctionem humorum duobus modis; primus modus est fouendo, augendo, corroborandoque calore innato; qui concoctionis est opifex; quæcunque tandem ratio sit, per quam calor humorum concoctionem exercet; cumque certum sit calorem innatum partim esse insitum partibus solidis; partim discurrere per totum corpus vnà cum spiritu & sanguine; haud dubium esse potest; quin illa quæ vires & facultates nostri corporis conseruant; eadem quoque humorum concoctionem promoueant; quod sicut Gal. tradit in solidis particulis, in spiritu, & in genere carnoso nostrarum virium robur consistat Gal. lib. 2. in 1. epidem. commen. 44. iam inquit maturationes efficere calfacietia mediocriter omnia obscurum non est tum cibos, tum fomenta & cataplasmata frictio item modica, & balneum; hæc spectant ad primum modum; idem commen. 46. meministis (inquit) omnem concoctionem morborum fieri in alteratione humorum &c. lege cętera. idē Gal. li. de const. artis Medicæ cap. 19. idē habet; secundus modus, quo Medicus promouet humorum concoctionem est ijs aut imminuendis, aut coercendis quæ naturali calori impedimento sunt, quominus recte cito, & facile humores, ægritudinis causam concoquat; qualia impedimenta sunt humorum multitudo, crassities, lentor, visciditas, durities fortasse; hæc omnia non proportionata & denique qualitas quælibet valde excedens seu de primis, seu de secundis illa sit; ratio est, quia in genere quocunque agens eo est promptius in agendo,

quo

quo patiens minorem habet cum agente dissimilitudinē; cum scribat disertis verbis Arist. in habentibus symbolum esse faciliorem transitum; naturalis calor hominis tum in communi totius speciei, tum in singulis indiuiduis mediocritatem quandam affectare videtur; proindeq́ue qualitas quælibet seu de primis, seu de secundis illa sit; si vel citra, vel vltra illam mediocritatem admodum peccet; tantum concoctionem retardat, quantum plus iusto excedere facit eam contrarietatem quæ inter agens, & patiens necessaria est; quod dixi de qualitate concoquendæ materiæ; idem de illius quantitate intelligatur; non enim agens vincit patiens quacunque copia & quantitate, sed certa solum, & determinata; hæc quomodo, & quatenus Medicus vel imminuat, vel coerceat pharmacis; cuiuis notum est; at contra hæc obijciat aliquis, Galenum, plerisque in locis diserte scribere nunquam humores esse ob id arte incrassandos, quia sua natura sint nimium tenues, & nimium fluxiles. eundemq́ue serosos humores euacuare nulla expectata concoctione; Respondeo sicut humoris crassities nunquam non facit ad illius faciliorem retentionem; quod videre est ex sanguine crudo, fluxili, & aquoso; quem Medici student incrassare; cum magni alicuius profluuij periculum est; & ex cibo crasso in ventriculum ingesto, qui etsi crudus est, omnem tamen à natura quam potuit concoctionem recepit idemq́ue descendere è ventriculo non nisi difficile admodum potest; ita excrementi tenuitatem nunquam nō facere ad illius expulsionem; ratio est, quia sicut facultas attractrix tum fibris oblongis vtitur; tum caliditatem habet attractionis suæ instrumentum qualitatiuum; ita expellens facultas, & retentrix illa humiditatem, hęc siccitatem sui operis quali-

litatiuum instrumentum habet; at qui incrassat, humidũ exprimere facit; & qui attenuat, humorem reddit minus siccum; proindeque & is expellentis facultatis, & hic retentricis virtutis operam interturbat; quod scripseram calorem nostrum naturalem agẽdo semper mediocritatem quandam affectare; ad concoctionem solum referri debet non ad attractionem, vel retentionem, vel expulsionem; quis enim dubitet si de attractione sermo sit, tenuia semper attrahi facilius quàm crassa? hinc Gal. lib. 5. in 6. epidem. commen. 6. maturatio inquit est omnis adductio ad mediocre temperamentum; quo loco certum est accipi maturationem pro concoctione; si igitur maturatio diffinitur adductio humoris ad mediocrem temperamentũ; qui fieri potest vt retentio, expulsio, & attractio, quæ differunt natura à concoctione humores adducant ad mediocre temperamentum? iterum obijcies; humores concocti facilius expelluntur quàm crudi; ponamus igitur concoxisse naturam tenuem aliquem liquorem, eũdemque ad mediocrem quandam substantiam adduxisse; fiet necessario vt incrassatio illa, qualis qualis sit expulsionem promoneat, non autem impediat. deinde obijcies rursus; Medicus cum in id totus incumbit vt naturam faciat euacuare illa, quæ noxia sunt, & inutilia; non debet ex dictis ad mediocritatem adducere humores, sed illos semper attenuare; quod videtur absurdum, & à ratione alienum. tertio obijciet alius concoctio reddit omnia semper crassiora vt probat Valess. lib. 7. controuer. cap. 12. non ergo crassities potest impedire concoctionem; Respondeo cõcoctionem reddere omnia crassiora, non simpliciter sumpta, sed recrementis vt fœcibus purgata; quæ defœcatio pars est quædam concoctionis, cui crassities est contraria.

ria. Ad primum respondeo humores concoctos facilius expelli quàm crudos; non ob id; quia crassiores per concoctionem sint redditi; incrassatio etenim nullo modo promouet expulsionem, vt dictum est; sed ob aliam causam; quia scilicet calori naturali omnium operum quæ in nostro corpore fiunt opifici facilius cedunt; sunt aliqui qui expulsionem ad frigus referunt, quoniam ea fit per compressionem & contractionem quandam; cogere autem, & contrahere frigoris proprium est; sed egregie falluntur; quoniam vt monstratum est in arte Medica frigus nullius per se actionis in nostro corpore causa est. expulsio quatenus fiat à calore ibidem fuit explicatum. Vt quod dixi distinctius intelligatur; quisque secum animo reputet expulsionem requirere naturaliter, tum certum quoddam agens, tum certam quandam materiam: expulsionis agens est calor; expulsionis materia est humiditas; quæ quo est tenuior, & calori agenti minus resistens, eo facilius expellitur. serosi igitur humores, si per concoctionem recipiant crassitiem aliquam; substantia redduntur ad expellendum ineptiores; at qualitate non item; quia concoctio domuit, subegitque illorum frigus, per quod calori naturali omnium vitę operum, etiam expulsionis auctori pertinacius resistebant. Ad secundum respondeo, si abundent in humano corpore serosi & tenues liquores; posse Medicum qui de illis expellendis cogitationem habet, arte fouere, corroborareque calorem; non tamen debere eundem de illis per se incrassandis cõsilium capere; cum præsertim quæ ad incrassandum exhibent Medici humorum substantiam reddant necessario non solum crassiorem; sed etiam frigidiorem. at num serosi humores euacuari debent illorum concoctione mi-

nime

nime expectata? Massarias affirmat simpliciter in libello de purgatione in morbi principio facienda fol. 262. nũ item appellatione serosi humoris biliosus humor est intelligendus? negat absolute Massarias in eodem loco. neutrũ fortasse oĩno bene; verum quidem est biliosos humores sæpe nõ æstu solum, & præternaturali calore peccare; sed ẽt crassitie; cum nondum cõcocti sunt, non tñ desunt qui dicant, biliosos humores interdum ante concoctionẽ esse magis tenues, quàm post concoctionem; qui possunt pro se adducere Galenum qui lib. 14. metho. cap. 17. hæc habet; herpeta biliosus procreat succus; quo fit vt eatenus eiusdem sit cum erysipelate generis; atque huius quoque magis etiam cum eo, quod exulceratum est: differt autem ab erysipelate humoris tenuitate; est enim admodum tenuis, qui herpetem excitat; adeo profecto vt non solum omnes interiores partes quæ vtique carnosæ substantia sunt transeat; sed etiam cutim ipsam ad summam vsque cuticulam; (epidermida Græci vocant) quam solam propterea quod ab ea remoratur tũ erodit, tum excedit; quando si hanc quoque sudoris vice transiret, haudquaquam vlcus excitaret; hactenus Gal. illud quoque primum non absolute, sed cum distinctione quadam erat pronunciandum; nam vrina seroso humore constat potissimum. eadem in morbi principio magis tenuis est; post concoctionem minus tenuis; Medicique non solent exhibere diuretica medicamenta nisi post concoctionem; est igitur cum serosi humores non commode euacuantur nisi post concoctionem; rem totam paucis accipe; cum serosus humor peccat & est admodum copiosus & multus vt in hydrope ascite; non est expectanda concoctio; quoniam hæc fortasse nulla esse potest; vt enim natura

molem tãtam coqueret, serosi humoris ægroto quod debet minime faciente? quod ideo addidi, quia certum est hydropicos aliquot qui sitim patientissime tulerunt; propria naturæ vi, citra vllum medicamentum fuisse persanatos; quod impossibile est fieri potuisse citra illorum humorum concoctionem; neque mirum videatur promptius digeri & in halitum facilius solui serosum humorē cum concoctione crassior est redditus, quàm cum ante coctionem erat serosior & tenuior; ratio est, quia plus potest materia per qualitatem alterata cedensque & obsequens reddita, quàm illius crassities impedire. Item si serosus & tenuis humor paucus sit, aut certe mediocris quantitate, qui tamen peccet & morbum faciat; neque tum expedit cunctari concoctionem; Gal. loco citato libro 14. metho. cap. 17. in herpete (inquit) quoniam tenuis humor est, qui id vitium creat; abunde est etiam aluum leuiter soluisse; vel vrinas per ea quæ id modice efficiunt, citasse; at etiam in principio morbi, & ante concoctionem tum aluus leniter soluitur; tum illa exhibentur, quæ vrinas modice citant. hinc Gal. apud Oribasium cap. 23. & 24. libri septimi collectionum medic. inter initia (inquit) morbi tenues & aquosos humores euacuabis; quod si humores qui morbum faciunt, crassiusculi sunt; nullumque in serosis humoribus vitium est; solet tamen natura illos per hos tãquam lauacro quodam è venis abstergere; ac per eosdem tanquam vehiculo aut ad vrinas, aut ad extimam superficiem sudore excitato transmittere; sic enim fit vt vnà cum serosis humoribus illi quoque eluantur, euacuenturque qui crassitiem habent humores; atque in his verissimum est debere expectari concoctionem; quia Hippoc. & Gal. sudorem non laudant, nisi post

signa

ſigna concoctionis; at quis neget ſudorem ad ſeroſum genus pertinere? De ſecundo capite res magis controuerſa eſt; cum enim omne agens agendo repatiatur cenſent aliqui, ob id non eſſe naturam alliciendam, & inuitandam ad maligni humoris concoctionem, ne ſcilicet natura dum ſtudet humores malignos coquere, illoſque agitare, & vt ſic dicam inuertere; ab illis viciſſim prauã, & nocentiſſimam qualitatem recipiat, quæ deinde ſit interitus cauſa; in his eſt Drudus Luſitanus lib. 3. cap. 19. horum argumenta hæc ſunt. Gale. lib. 2. aphoriſmorum commen. 13. ſcribit plures ex criſibus ſanari quàm mori, niſi peſtilens fuerit conſtitutio; ſignum eſt igitur concoctionem humoris peſtilentis ſeu maligni ad interitum hominis facere potius quàm ad illius ſalutem; criſis enim & concoctiones ſequuntur, & totæ à concoctionibus pendent. idem Gale. lib. 2. in 6. de morb. vulg. commen. 31. omnibus (inquit) inflammationibus, & tumoribus crudis conueniunt emplaſtica medicamenta quę humorem contentum ſuppurent, inſito calore adiuto, ne diffletur; exceptis illis, in quibus periculum eſt gãgrenæ ob calorem naturalem imbecillum, vel ob humoris contenti malignitatem. ex quo loco ita argumentum elicitur, in tumorem quem fecit humor malignus non licet inuitare naturã ad concoctionem ſicut in tumoribus quos humor fecit non malignus; ergo in morbis internis quos malignus humor excitauit non licet allicere naturam ad illius coctionem; ſicut in illis morbis quos humor non malignus attulit; ſed ſicut in curanda gangrena exiccationi ſolum ſtudemus, ſuppuratione omnino prætermiſſa; ita in febre maligna exiccationi ſtudendum eſt, humoris maligni concoctione penitus neglecta. Mihi tamẽ contraria ſententia pro-

batur; quam argumentis aliquot demonstro: primum est Massariæ viri doctissimi in libro 2. de peste. quicunque ex maligna febre euadunt; ij omnes non ante sanantur quàm concoctionis signa habuerint; salubriter igitur in febre maligna studet natura humorum concoctioni. dein de non est positum in Medici potestate efficere vt natura humores malignos concoquat, vel non concoquat; nisi fortasse hac ratione; quum calor naturalis adeo imbecillus est, vt verisimile sit illum non posse concoctionē persequi; si Medicus illum excitet, excitatumque adaugeat, efficit vt natura resumat intermissum concoctionis opus; at si ponamus naturam humores malignos coquere; salubrius est illam in hoc opere iuuare; quàm eandem ab incœpto auertere; ergo debet Medicus adiuuare concoctionem humoris in febre maligna, non impedire; illud ex eo probatur, quod naturæ morborum sunt medicatrices; & summa stultitia est credere Medicum debere dirigere naturam in ijs operibus quæ à natura sola, & nullo modo à morbo proficiscuntur; nemo autem credit vnquam humorum concoctionem à morbo fieri; & non potius à natura sola. Tertio Medicus non debet rem impossibilem tentare; at si semel natura humorem aliquem concoquere cœperit; impossibile est eam ab incœpto distrahere opera vllius quantumuis peritissimi Medici; nisi vel naturæ viribus ademptis, vel morbi materia penitus euacuata quorum vtrunque est aut impossibile; aut temerarium. ergo &c. minor probatur per illud axioma philosophorum; agente determinato & patiente debite approximatis non potest non sequi actio &c. Quarto tametsi agens repatiatur aliquid à patiente; tamen dum actio integra est, & vincens; certum est agens superare, & patiens supe-

superari; atqui Medicus quiuis desiderare cum primis debet, studereque omnibus opibus vt natura superet, morbus superetur. ergo concoctio, per quam natura superat adiuuanda est, non impedienda. V. actio naturæ non excitat morbi actionem; sed illam potius quantum in se est obtundit, & reprimit; quod videre est ex consuetudine contrariorum; quis enim dixit vnquã contrarij actione alterum contrarium reddi vegetius, & efficacius? dicitur quidem vulgo, contraria iuxta se posita magis elucescere; sed id nihil ad rem; quia communis illius dicti hic sensus est; contraria iuxta se posita, magis apparent inter se contraria, quàm cũ non erant iuxta se posita; vera causa vt quidpiam in aliud agat in rebus determinatis ad vnum est contrarietas approximata. igitur seu natura cõcoquat, seu non concoquat humores malignos; non cessabunt illi in naturam agere, & naturæ vires oppugnare, dum sint debite approximati; at quæ maior approximatio, quàm in nostris ipsis visceribus, & penitissimis partibus locum, & sedem habere? num inde discedent vltro, cum natura à concoctionis opere desistet? Sexto Gal libro 2. in 1. epidem. commen. 46. meministis inquit omnẽ concoctionem morborum fieri in alteratione humorũ; etenim protensa est per solida corpora natura quæ illorum est virtus; concoctionemque à solidis corporibus sanis humores consequuntur; & commen. 44. iam maturationes efficere calfacientia mediocriter omnia obscurum non est; tum cibos &c. ex quibus locis ita argumentor; natura per se concoctionem facit; naturam ad concoquẽdum iuuant omnia quæ mediocriter calfaciunt; at impossibile est in curanda febre maligna abstinere Medicum ab ijs quæ mediocriter calfaciunt, viresque & calorem con-

conseruant; ergo impossibile est vt Medicus naturam ad coquendum humores malignos non alliciat; siquidem recte, & prudenter omnia instituat. Septimo certum est ęgrotos primi libri epidemiorum aut omnes, aut plerosq; in pestilenti illa constitutione q̃ initio Hip. descripserat febre maligna laborasse; at ex illis quicunque sanati sunt; signa concoctionis habuerũt omnes, vt videre est ex Hippoc. narratione, & ex Galeni commento; ergo &c. Ad primum argumentum aduersariorum respondeo non aliud Galenum docere eo loco nisi crises maiori ex parte ad salutem desinere; cuius dicti hanc rationem reddit; quia ex ægrotis plures sunt, qui seruantur, quàm qui intereũt nisi forte pestilens sit cœli status;. non hinc tamen colligas crises illas quæ ad salutem non desinunt, optimas, & laudatissimas concoctiones præcessisse; nam quod Gal. docet libro primo de crisibus cap. 7. & 8. differre signa coctionis, à signis decretorijs; & coctionis signa nunquã male apparere; contraque critica signa nunc bene, nunc male decernere certissimæ est, & constantissimæ veritatis; deinde etiam si concesserim Hippocratem & Gal. in eo aphorismo crisis nomen accipere non vniuersim, hoc est tam pro bona crise quæ ad salutem desinit, quàm pro mala quæ desinit ad interitum; sed pro bona crise tantũ; quanquam id manifeste est contra Galenum, qui in illo commento statim in initio crisim diffinit subitam in morbo mutationem ad salutem, vel mortem. non tamen est necessarium, cum crisis aliqua imperfecta sit, perfectæ coctionis signa præcessisse. anteuertunt enim sæpe iudicia προσκρήγνυσθαι Hippoc. dicere solet; quia natura vehementius vexatur, & exagitatur, & ab ijs quæ in corpore sunt, & ab ijs quæ extra; tumque non est necesse aut salu-

em

tem ſubſequi; aut perfectæ concoctionis ſigna præceſſiſſe; quin ſæpe idem accidit naturæ in iudicijs quæ anteuertunt quod baiulo, qui dum onus ſuſceptum abijcere ſtudet, inuitus cum eo concidit. Ad ſecundum reſpondeo nihil eam ſimilitudinem valere; nam in gangræna ſupponimus naturam ſuccumbere morbo, ab eoque ſuperari; at non eſt neceſſarium, vt febris maligna naturam ſuperet; quin teſte Gal. maior hominum pars euadit à maligna febre; quod contingere non poſſet, niſi natura illam vt plurimum vinceret; quòd ſi accidat interdum vt febris malignæ vires ſint valde ſuperiores naturæ viribus; neq; nos tum concoctioni ſtudemus; certi naturam ob imbecillitatem non poſſe coquere; ſed ægrotum prognoſtico relinquimus; de illius ſalute nullam ſpem habentes; non enim vires quæ cum maligna febre pugnam habent, tales ſunt, quales illæ quæ cum externa gangræna dimicantur; hæ ſi concidant, quoniam in partibus ſunt ignobilibus, non eſt ob id actum de ægri ſalute; ſi præſertim ferro aut igne repens virus vnà cum parte affecta eradicentur; at illæ, quoniam ad partes principes pertinent ſi ſemel concidant; nulla ſpes eſſe ſalutis poteſt. De tertia dubitatione non poſſumus facile ex pręcedentibus certi aliquid ſtatuere; nam plerique etſi concedant fortaſſe naturam poſſe ſalubriter coquere malignæ febris humores; ſentiunt tamen illos ob alias cauſas ante concoctionem eſſe imminuendos, & ex parte euacuandos; quia ſcilicet vel tanquam venenati in turgentibus habendi ſint; quæ eſt ſententia Manardi libro 13. epiſtolarum medicinalium epiſtola prima vel tãquam ad principes partes repentes ſint inde reuellendi per purgans medicamentum; eo modo quo plerique in principio apoplexiæ fortiſſima medica-

menta

menta exhibent, vt materiam à capite reuellant (quæ ſententia eſt Hieremiæ Thriuerij commen. ſuper aphor. 22. libro primo. & Franciſci Valeſij commen. ſuper aphoriſ. 22. libri primi) vel denique tanquam vrgentes hoc eſt naturam copia, aut acrimonia nimis fortiter laceſſentes, exagitantesq́ue; & eam in coctionis curſu importune perturbantes, ita vt veriſimile ſit vires vſque ad morbi finem aut ſtatum non eſſe duraturas; quam citiſſime ſint è corpore educendi; quæ ſententia eſt Franciſci Valeſij libro 7. controuerſiarum medicarum cap. 13. lib. 3. epid. ſect. 3. ægroto 6. & lib. 4. metho. meden. cap. 2. Manardus non alia ratione cenſet venenatam, & malignam febris materiam pro turgente habendam eſſe, niſi quia mordacem caliditatem habet; quaſi hæc qualitas vera & propria cauſa ſit turgentiæ in quolibet humore; ſed Manardi opinionem doctiſſime refellit Braſauolus commen. ſuper aphoriſmum 22. lib. 1. & ipſa per ſe facile refellitur. at num alia ratione malignus humor pro turgẽte haberi poteſt? pleriq; ſentiunt non turgere humores niſi cum huc, atque illuc inordinato, & incerto motu feruntur; nullãq́ue certam ſedem habent; alioqui inquiunt in multis naturæ motionibus, v. g. in qualibet fluxione alui, humoribus ad inteſtina delatis; in qualibet inflammatione vt illi turgeant, fateamur neceſſe eſt; quod ab omni ratione abhorret, & à nemine vnquam traditum eſt. ijdem pro ſe adducunt Galenum in libro octauo de compoſit. medic. ſect. locos. Braſauolus loco citato; Valeſius libro ſeptimo epidem. ægroto 106. & Maſſarias in tractatu de purgatione in principio morborum ſentiunt humores turgere, etiam cum vergunt, ideſt procliuitatem quandam habent in euacuationis vias; præcipue in aluum; quæ procliui-

cliuitas in quibnſdam ſignificatur hypochondriorũ mur-
mure. ita vt in determinata parte, & ad certũ locum mo-
ueri turgentiæ rationem non tollat; multaque adducunt
ijdem, vt ſuam ſententiam confirment; ad rationes aduer
ſariorum reſpondet Maſſarias humores ad inteſtina præ-
cipitatos non dici turgentes, quia vere excernuntur; hu-
mores vero qui ad inflammationes trahuntur non ſolum
non appetere expulſionem quod eſt de eſſentia turgen-
tium humorum; vt contra certam ac ſtabilem ſedem pe-
tant; vt in ea ſemel firmentur; his poſitis reſpondeo ad
quæſtionem; quocunque modo materia turgens accipia-
tur; non poſſe humorem malignum quatenus malignus
eſt turgentem appellari; nihil tamen impedire quominus
interdum malignus humor, vel ob copiam, vel ob acri-
moniam alterutro modo turgeat; tuncque concoctione
minime expectata poſſe illum purgantibus pharmacis e-
uacuari. Secunda ſententia quæ purgatione in principio
febris malignæ vtitur non tanquam euacuatorio, ſed tan
quam reuulſorio præſidio facile refellitur; nam Hippocr.
vniuerſe pronunciauit; concocta medicari oportet, &
mouere, non cruda &c. at dictio illa (medicari) Græce
φαρμακέυειν; itemque illa (mouere, Græce κινέειν) vtra-
que excludit non minus reuulſoriam, quàm euacuato-
riam expurgationem. φαρμακευειν enim idem eſt quod
purgatorio, ſeu electiuo pharmaco vti, ſeu ad reuellen-
dum, ſeu ad euacuandum illud propinctur; & κινέειν æq;
transfertur ad reuulſionem, atque ad euacuationem; &
æque item ad ſudores, ad balneas, ad frictiones, ad eua-
cuationem per vrinam, ad motum denique quemlibet;
atque ad expurgationem. obijciat aliquis in morborum
principijs mitti ſanguinem; quod eſt quoddam mouere,
Z Reſpon

Respondeo Hippocratem loqui de ijs tantum quæ apta sunt recipere concoctionem; at sanguis in morbis non coquitur, eo scilicet modo, quo materia morbum faciẽs coqui dicitur; deinde natura in morbi principio aut retinet humores, qui euacuandi sunt; aut non retinet; si non retinet; necessarium est illos turgere; si retinet, Medicus contrarium motum molitur ei quem amat natura; si quidem eos purgare studeat; qui enim motus contrarij magis sunt, quàm hi duo expellere, & retinere? at naturæ sunt morborum medicatrices; Medicus est tantum minister. dicent fortasse aliqui, perperam agere naturam dum humores malignos in principibus partibus, vel in vasis ad principes partes pertinentibus ad concoquendum retinet; proindeque hunc illius motum non esse adiuuandum, sed potius impediendum; addent ijdem febris malignæ materiam esse contumacem, & coctu difficilem; ob idq; aliquos vescicantia probasse, etiã cum materia cruda est; tametsi vescicantium attractio sit quoddam mouere; hancque ob causam non videatur pertinere ad crudã materiam; sed ad coctam tantum ex Hippoc. præscripto in aphorismo 22. primæ sectionis; cur igitur vt vescicantia, ita reuulsoriam expurgationem in morbi principio non probare? his accedit locus Hippoc. qui in 4. de ratione victus in morbis acutis textu 64. sic habet. hos si ab initio purgare volueris; id ante diem quintum facito. Ad hæc respondeo naturam nunquam errare in ijs, quæ ipsa per se facit nullis morbi stimulis exagitata; quis enim ingenio sit adeo stulto, & hebete vt summam naturæ sapiẽtiam & prouidentiam accusare audeat? quis potest inficiari naturam illam, quæ est determinata ad vnum propter finem agere, illumque vt plurimum assequi? cum

igitur

igitur natura humores arcte & exacte retinet; vt illos cõcoquat; neque inflammatione aliqua, neque viscerum imbecillitate retentionẽ causante; tum neq; vescicantibus, neque pharmacis reuulsorijs est perturbanda; quod si signa adsint illam in retinenda morbi materia inertem esse; quod vrina præcipue solet declarare; tum alterutrum contingat necesse est; vt scilicet natura vel male prorsus retineat; tumque aut turgebit materia, cui pharmacum expurgans maxime conuenit; seu tanquam euacuans, seu tanquam reuellens illud accipiatur; aut excretio fiet symptomatica, quę neque iuuanda, neque impedienda est, & forte ẽt impedienda. vel in retinendo mediocri quodam modo se habebit, tumq; reuulsoria conueniunt illa quidẽ, sed fortia mediocriter; nõ quę sensim reuellunt; cuiusmodi sunt vescicãtia; pharmaca aũt purgantia nimis violenta, & nimis turbulenta sunt; ac seditiosa; si inflammatio vel imbecillitas; retentionem causatur humoris; mali causis occurrendum, reuulsionibusque omnibus & deriuationibus vtendum vt decet; sed hæc curatio non est propria febris malignæ; de qua nunc disputamus. locum illum Hippoc. in lib. 4. de victus ratione in morbis acutis ad turgentem materiam Massarias refert, cuius rationes quisque per se legere potest. atque hæc de secunda opinione. Valesius vt suam illam de vrgentibus humoribus opinionem demonstret duobus potissimum argumentis vtitur. Primum tale est in libro controuersiarum. natura interdum vult expellere crudum humorem propter illius vitium: sed propter nimiam copiam nequit eum mouere qui tunc profecto non turget, quia non mouetur: natura autem adminiculatur illius vacuationi, quoniam si posset vellet ipsum vacuare; idque molestum onus deponere:

itaque artificiosa quoque purgatio principio morbi aliquando potest vtilis esse; ea scilicet, quæ naturæ volenti, & non potenti euacuare manum porrigit. idem Valesius commen. super aphor. 22. lib. 1. argumentum hoc penitus infringit, dum ita scribit. succorum qui in penitioribus venis sunt non turgentes, reuulsionis gratia, licet nonnunquam expurgationem augere in morborum principijs; verum euacuationis gratia nunquam debet agi expurgatio ante concoctionem; nisi forte aliquando, quum nullatenus videtur facultas posse durare, donec morbus concoquatur, aut ob multitudinem succorum, aut ineptitudinem ad coquendum; sed tunc quoque est dubium admodum, & periculo plenum experimentum; quodque ego nunquam tentarem nisi aliunde certa mors mihi videretur obiecta. hactenus Valesius; qui manifeste studiosos deludit, purgare docens eos, qui certo sunt morituri, vt suam de vrgentibus humoribus opinionem defendat; quam alioqui ex propria confessione defendere est impossibile: num enim tentabunt alij, quod opinionis auctor tentare minime auderet? libro quarto methodi medendi cap. 2. ita argumentatur. possunt symptomaticæ euacuationes interdum (etsi raro) vtiles esse; ergo & expurgationes ante concoctionem vtiles esse possunt; si .n. est cum ipsa natura, nullo exterius prouocante incocta vtiliter expellit; fit etiam; cum in id ipsum, quod sponte facit; prouocante succo adminiculetur: si vero sine auxilio potest vacuare vtiliter, possit etiam vtilius artis sentiens opem: nihil enim obstare potest expurgationi ante concoctionem, quod non etiam, ac multo magis obstet euacuationi symptomaticæ; hactenus ille. qui paulopost scriptum exponens, conditiones omnes edocet, quas ser-

uari

uari necesse est, vt in morbi principio vrgentium humorum expurgatio recte & cum iudicio fiat. Aegrotus inquit proponatur cui pro virium ratione,& morbi ac ſucci ſpecie ſatis multum ſanguinis ſit extractum; neque vlla ſit turgentia; tamen vitioſorum vrgeat copia; & malignæ qualitatis immineat ſuſpicio; huic ante concoctionem expurgatio præſcribi poteſt;niſi adſint eæ conditiones quæ expurgationi repugnant; hypochondria ſcilicet tentata inflammatione; febris plurimum ardens; & alui ſiccitas; hique humores non ſint omnino quieti, ſed velut fuſi,& in ventrem inclinantes; quod indicat murmur hypochondriorum; aut deiectio liquidior duplex, aut triplex per diem; hoc enim etiam ad excretionem non parum inuitat. hæc Valeſius. qui alio loco lib. ſcilicet 7. epidem.ægroto 106.à ſeipſo diſſentit; docens conditiones iſtas, materiam conſtituere turgentem; proindeque dum vult videri auctor nouæ ſententiæ;inuitus relabitur in antiquorum receptum dogma. eius verba hæc ſunt.ex ijs illud licet intelligere Hippocratem nomine turgentiæ non ſolum intelligere eam reciprocam à partibus in partes montitationem, quam Gal. interpretatur; ſed etiam vergentiam humorum in euacuationis vias, præcipue in aluum, qualis in quibuſdam ſignificatur hypochondriorum murmure; eandem ſententiam habet lib. 4. de vict. rat.in morbis acutis 64. Ad ſecundum Valeſij argumentum reſpondeo non oportere imitari naturam in ijs,quę plerunque nocent; etſi aliquando iuuent;præſertim ſi raro iuuent; ſed ſolum in ijs,quæ prodeſſe ſolent; ſcio ſicut ventriculus maxime vexatus concoctionis tempus minime expectat; ſed protinus ea etiam, quæ nulla re laceſſunt,cum ijs,quæ eum male habent, expellit; ita in vnaquaque

quaque corporis nostri particula euenire; sed considerare oportet; naturam, si sit adeo impotens vt molestum onus ipsa à se excutere non valeat; accepto pharmaco magis etiam debilitatam iri; at quæ prudentia est vires iam afflictas & infirmas debilitare magis; vt morbi materia minor reddatur? num enim minor morbus cum minoribus viribus non est æque periculosus ac maior cum maioribus? dices vires tum per aggrauationem videri infirmas; non per veram & legitimam imminutionem; seu vt alij loquuntur, per resolutionem. Respondeo materiam quæ grauat, & molestat naturam; aut esse crudam, & pituitosam omnino; aut acrem, & mordacem; si primum non est exhibendum pharmacum; sed parendum potius Galeno, qui consulit in lib. 12. de methodo meden. cap. 3. homini sic ægrotanti frictione sola mederi, medicamẽto euacuante quocunque prætermisso. aliam rationem ægrotos huiusmodi curandi habes apud eundem Gal. in libro de curandi ratione per sanguinis missionem capite 12. vbi præcipitur succos crudos incidere & attenuare; quasi non bene sit illos euacuare; nisi humoribus ante præparatis. Si secundum; fieri nõ potest, quin natura per veram resolutionem languidior facta sit; siquidem acre, & mordax onus neque sentiat, neque à se excutiat. quod si natura, ipsa per se noxium, & molestum humorem abijciat etiamnum crudum; euacuatio huiusmodi si quidem nimia sit, & modum valde excedat, ita vt immineat periculum ne vires prorsus concidant; impedienda est penitus; si sit mediocris, neque adiuuanda, neque impedienda est; quod mediocria omnia ad salutem quoquo modo conferant; si pauca sit; neque tum adiuuanda est; quoniam natura leuior, & expeditior facta ipsa per se

onus

onus deponet, si quidem ita expediat; quod si præstet residuum oneris ad coquendum retineri; non vltra progreditur euacuatio; subsistetque ipsa per se; scripsimus alibi expurgari commode corpora ante concoctionem materia vel turgente, vel vrgente; sed vrgentis materiæ appellatione turgentem illam intelleximus, quæ improprie talis dicitur; de qua nuper diximus: Michael Villanouā. serm. 2. sentit nullum humorem concoqui, nisi illum qui in nostri substantiam verti potest; putrefactosque, biliosos, & alios eiusmodi secretos humores à concoctrice potentia nullatenus elaborari, quod alibi expendemus.

De pharmacis, quæ humores malignos reddunt fluxiles, & ad euacuandum idoneos. Cap. II.



TAMETSI sæpissime contingit, vt medicamenta quæ sublatis impedimentis hoc est crassitie, visciditate &c. concoctionē promouent humorum; eadem illos ad euacuationem quoque disponant; certum tamen est humores disponere ad euacuandum vnam rem esse; & illorum concoctionem promouere esse item aliam; proindeque separato capite erat de his agendum; illud probatur ex diffinitione vtriusque; nam disponere ad euacuandum humores est illos tenues, & fluxiles reddere; at humores concoquere, est illos euincere; & permutare vt docet Gal. libro 2. de vict. rat. in morb. acut. commen. 44. quod quomodo intelligatur; abunde expositum est in arte Medica. Deinde concoctio humores

res primum depurat,& defœcat per attenuationem; succum defœcatum mox incrassat per absumptionem partium humidiorum; est enim certum Arist. & Gal. dogma concoctione omnia crassescere; at humores disponere ad euacuandum; nunquam illos incrassare est;nisi fortasse illos qui è thorace excernuntur; quæ excretio ad animalem expulsionem pertinet,potius quam ad naturalem, vt alibi declarauimus. Hoc igitur capite duæ quæstiones explicandæ sunt. Prima est num sunt attenuandi humores in febre maligna? Secunda quænam illa sunt medicamenta,quæ commodius & perfectius præstare hanc operam possunt?quod ad primam attinet,certum est,debere Medicum febris malignæ humores incidere,&attenuare; quoniam malignitas dependet tota ab obstructionis inuicta,& febre insuperabili pertinacia; vt quæ nihil est aliud,quàm intensior quædam putredo; constans est in tota Medicina non tolli morbum, nisi prius illius causa tollatur; verentur aliqui ne humores redditi tenuiores, facilius inuadant in partes principes; sed frustra;quia dũ obstructio manet inuicta; vapores putres & maligni irrequieto motu ad cor,& ad caput feruntur; illicq́ue turbas maximas excitant; at si obstructio solui sensim incipiat; tum vapores qui inde efflantur minus putres, & maligni sunt; imminuto aliquantum per euentationem putredinoso calore; tum humores ipsi liquidiores redditi, fœcis partem deponunt,quæ illos efficiebat acriores; eamq́;in partem aliquam ignobilem natura transmittit: ac præterea obstructionem reddunt vt latiorem,& ampliorem;ita etiam minus prauam,minus malignam; quia magis reclusam. Ad secundam quæstionem veniens dico ea omnia reddere humores fluxiles & ad euacuandum idoneos;

quæ

quę contraria ſunt ijs rebus per quas ijdem contumaces, & ad euacuandum rebelles redduntur: in his ponit Gal. libro 11. de methodo medendi cap. 13. multitudinem; craſſitiem; lentorem; & obſtructionem; quibus contraria ponit è directo euacuationem; tenuitatem; deterſionem; & ecphraxim, ideſt reclusionem. eandem ſententiā eleganter expreſſit Gal. ſect. 1. aphoriſm. commen. 24. his verbis; ægrotantis humores quam poteſt fieri maxime fluxiles eſſe oportet; hoc eſt tenuatos eſſe; minimeque lentoris participes; apertos denique reſeratosque eſſe conuenit meatus per quos purgatio fieri debeat, atque omni obſtructione liberatos. De vacuantibus non eſt loquendum modo; at de attenuantibus; de detergentibus, & de recludentibus; quo temperamento, & quænam illa ſint tempus eſt vt diſſerere incipiamus. Gal. lib. de attenuante victus ratione cap. 1. pro re eadem accipit incidere, & attenuare; ſubditque attenuantia eſſe acria omnia, quæ ſcilicet ſenſus noſtros pungunt, ac mordicant; halitus acres emittunt; ciborumque nauſeam magnam inducunt. idem Gal. lib. 4. de ſimplic. medicam. facult. cap. 17. 18. 19. & 20. docens quatenus acria ab amaris diſtinguantur. ſcribit vtraque eſſe calida; ſed acria eſſe calidiora amaris. & reliquis omnibus ſaporibus; itemque differre illa duo quod amara caliditati habeant adiunctam ſiccitatē; acria vero humiditatem; illamque vberem & copioſam. item acria multos habere gradus, quæ ex illis ſunt in primo gradu, abſtergere & expurgare; eademque ſi tenuium ſint partium; incidere etiam attenuare & digerere; quæ ſunt in ſecundo gradu exedere & mordicare; quæ ſunt in tertio gradu, vrere; quæ in quarto gradu carnem colliquare. Acria igitur ſi quidem primum caliditatis gradū

obtineant, ac præterea ſint tenuium partium; habent vim incidendi,& attenuandi; hinc Gal.loco proxime citato; ſcribit acria cum maxime excedunt acrimonia vrere;& colliquare; amara cum excedunt maxime amaritudine abſtergere & expurgare; quoniam vbi calore incipiunt acria; illic deſinunt amara vt Gal. exponit ijſdem in locis. quæ ſunt primo gradu acria, ſuntque tenuium partium,& vim habent incidendi magnam habent latitudinem prout calore variant, humiditate, & ſubſtantia. quod doctiſſime exponit idem Gal.lib.5. de ſimplic.medic.facult. cap.13. quo loco in incidentibus ponit ſemen apij, petroſelini, fœniculi, dauci,agrioſelini, aſaron,acoron; radices regiorum aſparagorum,& rubi; betonicam, polium,ochram,vitrum vſtum,& ex ſcilla confectum acetum. quibus cap.18.lib.4.accēſet ariſtolochiam, iridem, & panacem; & cap.2. libri de attenuante victus ratione ſmyrnium,piretrum,origanum,calaminthim; ſiſymbriū, pulegium,ſatureiam,thymum,capparem; terebinthi fructum; erucam,ſium,ocymum,raphanum; braſſicā,& betam.& cap.15. lib.14. de methodo medendi rutæ ſemen præſertim ſylueſtris; centaurium minus, gentianam, theriacam, & ſal theriacale. & lib. de curandi rat. per ſang. miſſ. cap.12. hyſſopum, nepitam, oximel; & oxyglycy. idem Gal.lib.10.de methodo medendi cap.5.ſcribit attenuari in nobis humores ex Sole, ex inedia, & ex laboribus. hæc de attenuantibus generatim. Ad detergentia quod attinet Gal.lib.5. de ſimplic.medicam. facult.cap. 12. diſtinguit detergentia ſeu extergentia ab ijs quæ repurgant,ideſt poros infarctu liberant; vtraque ſcribit eſſe calida,tenuium partium; nitroſa,& amara; graduque ſolum differre, quoniam quæ infarctu liberant partium

ſunt

ſunt ſubtiliorum, atque etiam calidiorum; illa Græce vocat rhyptica; hæc pororum ecphractica, & eccathartica. ſubditque in eodem capite ad extergentium, & repurgantium claſſem referri abſinthium, amygdalas amaras, vrticæ ſemen, ſcillam, iridem, abrotonum, capparis corticem, radices tamaricis; ſcolopendrion, aſplenon; & id genus alia. Idem Gal. lib. de conſtit. artis Medicæ cap. 19. obſtructiones (inquit) remouent, quæcunque vel eſculenta, vel poculenta, vel medicamenta attenuant. ex his apparet incidentia, abſtergentia, & recludentia eodem prorſus conſtare temperamento; ſignificareque potius effectus diuerſos eiuſdem medicamenti, quàm diuerſa medicamenta; humores enim ab acri & amaro pharmaco inciduntur & attenuantur primum; deinde exterguntur; factaque exterſione ſubſequitur illico obſtructionis recluſio. hinc Gal libro 5. de ſimplic. medicam. facult. cap. 14. incidentia, extergentia, & obſtructiones tollentia pro re eadem accipit, cum ita ſcribit; videntur rarefacientia quodam ſanè modo iam dictis eſſe vicina, nempe quæ extergere, incidere, obſtructiones tollere, diuidereq; diximus; quanquam non vndiquaque eſſe ſimilia. reliquum nunc eſſet priuatim diſſerere de illis pharmacis quę in febre maligna fluxiles reddere, ideſt attenuare, & extergere obſtructione ſublata humores valent; ſed præſtat ante diluere dubitationes aliquot, quæ ad generalem de incidentibus & extergentibus doctrinam pertinent. Prima eſt mel, zuccarum, & ſimilia vim habent attenuandi, & extergendi; manna item extergit valentiſſime, at cum dulciſſima ſint, amaritudinis & acrimoniæ nihil poſſident. Secunda, acida cuiuſmodi eſt ſuccus mali citrij, & cuiuſmodi eſt acetum, attenuant, & extergunt communi Medicorum om-

nium confeſſione; hinc enim oximel, & oxiſaccarum ad reddendos humores fluxiles; itemque ſyrupus de aceto-ſitate citri; & hinc aliquorum conſuetudo eluendi & ex-tergendi ſcabiem citrij ſucco. at acida omnia frigida vt oſtendit Gal.lib.4.de ſimplic.medicam.facult.cap.12.ter tia,ptiſana ex Galeno cap.5.lib.de ptiſana extergit & atte nuat; quæ tamen acrimoniæ & amaritudinis nihil habet; calore vero tantum abeſt vt excedat; vt contra ad refri-gerandum idonea maxime iudicetur à Galeno in loco proxime citato. Quarto, aqua quod eſt ſimplex, frigi-dumque, & humidum elementum eluendo extergit;fun-ditque & diſſoluit ſal, bolum armenum, & id genus alia; quod videtur eſſe maioris operæ, quam ſimplex inciſio & attenuatio. Quinta,Gal.libro 11.de methodo meden di cap.10. ad curandam (inquit) obſtructionem medica mentis ijs,quæ obſtructiones expediant erit opus: verũ quoniam horum plurima calida ſunt; metus eſt, ne tum putredinem,tum febrem augeant; itaque ijs;quæ citra ca lorem liberare obſtructiones valeant vtemur. hæc Gal. non igitur attenuantia, extergentia, & obſtruentia ſunt ſemper acria; aut non eſt verum acria omnia & amara eſ-ſe calida. Similem huic ſententiam habet Gal.lib.8.de me thodo medendi cap. 4. vbi inquit, modice vacuaueris, haud multo poſt aut nutrimentum aliquod, aut pharma-cum ex ijs quæ detergeant exhibebis; ſunt porrò nõ mul ta quæ in febribus id præſtent; ſed ſicut dictum prius eſt in alimentorum ratione ſunt ptiſana & mulſa; in pharma corum oximeli, & quæcunque incoquere in mulſa licet, ceu calamintam,& hyſſopum,& origanum, & ſerpillum, & irim,& apium; verum hæc omnia iuſto ſunt calidiora, ideoque febres accendunt,ita vtique vt vinum; oximeli

vero

vero ſolum nec febres accendit, & ſtrenue deterget; ſic vt ea quæ glutinoſa, craſſaque ſunt, diſſoluat; & meatus obſtructos liberet. Porrò inter mulſam, & oximeli medium locum habet, quod Apomeli Græce dicitur; cuius plurimus in Peloponneſo eſt vſus; non immerito arbitror, & ſaccarum inter hæc numerandum. hactenus Gal. qui ſaccari appellatione non noſtrum vulgare ſaccarum intelligit; ſed eam quam vocamus mannam ex Manardi interpretatione lib. 2. epiſt. 2. & lib. 9. epiſt. 5. quod an verum ſit, in præſentia non diſputo, quoniam ad alium locum pertinet hæc diſquiſitio. antequã dubitationes iſtas diluam, lubet præfari quædam; quæ Galeni doctrinam de incidentibus & extergentibus magnopere, vt ſpero, illuſtrabunt. Ariſt. lib. 4. meteorologic. cap. 6. textu 36. craſſities inquit fit humido abeunte, & ſicco coagmentato. idẽ craſſa appellare ſolet communi voce concreta, vſurpatq́; interdum ad rem eandem ſignificandam hæc duo nomina; quibus opponit tanquam contrarium liquata; quanquam vox hæc concretum communior eſt; accipiturque ab Ariſt. non ſolum pro eo quod craſſum eſt; ſed etiam pro eo quod eſt denſatum citra craſſitiem vllã; nam multum intereſt denſiorem, aut craſſiorem fieri rem; quia aliud eſt habere partes rariores; & aliud eas habere tenuiores; itemque aliud eſt partes habere denſiores, & aliud illas habere craſſiores; raritas aut denſitas partium conſiſtit in amplitudine aut anguſtia pororum; craſſities aut tenuitas in illarum ſubſtantia poſita eſt; hinc Ariſt. tex. 41. ſcribit aquea concreſcere, ideſt gelaſcere frigore non craſſari, & textu 37. lateres coctos denſari, ſed non craſſeſcere. Præterea plurima ſunt fortiſſime denſata, quæ tamen ſunt partium tenuiſſimarum, quod inde cognoſcimus,

quia

quia confracta in tenuissimum puluerem rediguntur. Itẽ crassa sunt in duplici genere; quædam perfecta mixtione crassa sunt; taliaque reddita totius substantiæ permutatione; quædam sunt crassa mixtione imperfecta, idest cõfusione partium crassarum; quæ talia reddi potuerunt citra totius snbstantiæ commutationem; de omnibus concretis, idest tam de crassis, quàm de densatis vniuerse Arist. pronunciauit cap. illo *6.* t*e*x.*36.* concrescere illa aut à calido, aut à frigido, aut à sicco; laterem coctum concrescere fecit calor; gelu & glaciem frigus; sal siccitas; in crassis butyrum & lutum concrescere fecit frigus; lac; vrinã, & concocta omnia calor; quod si liquatio concretioni cõtraria est; dicendum est quiduis sicut ab vna qualitate cõcretius efficitur; ita à qualitate contraria liquatius reddi; quod verum esse philosophi multis exemplis adductis docent. de vtrisque hoc est tam de concretis, quàm de liquatis communes quasdam regulas Arist. proponit, quas sequuti minime erremus; cum de illis est iudicium faciendum; quatenus & ad quem vsque terminum solubilia sint; vel concretilia; quas ideo non prosequor oratione; quoniam ad nostrum institutum non faciunt. Gal. nullibi quod sciam concretorum naturam distinxit, ita vt Arist. videtur tamen si hac de re longiorem orationem fuisset suscepturus ab Arist. doctrina, non alienus futurus; si quidem verum est, quod vulgo iactatur, ex vngue elephantem. nam libro 2. in prognost. Hippoc. commen. 38. hæc ad verbum habet. syncerus humor crassior redditur. pituitosus quidem propter frigiditatem quasi concretus; biliosus vero propter exuperantiam caloris euaporatus, & tanquam assatus; hæc enim duæ causæ contrariæ crassitudinis sunt; calidum admodum, ac frigidum; calidum enim

euapo-

euaporat, frigidum adstringit; hæc Gal. qui si tertiam con cretionis causam ad illas duas addidisset, quæ est siccitas; Arist. doctrinam non sensu modo vt fecit, sed etiam verbis expressisset. His positis dico nostri corporis humores non perfecta mixtione, sed imperfecta, potius, & diuersarum miscellarum confusione, vt plurimum crassescere. ijdem ante liquati dum coquuntur, speciem quandam veræ concretionis & crassitiei recipiunt à nostro naturali calore; qui cum semper affectet mediocritatem; æq; contrarius censetur præternaturalis, modumque excedentis caloris, atque frigoris; quòd sicut philosophi docent, quę in medio extremorum posita sunt; alterutri comparata, contrarij extremi naturam induunt; obseruandum tamē est sicut est ex imperfecta mixtione concretio illa, quę nō per concoctionem soluenda est, ita liquationem etiam esse imperfectam, & impropriam; quis enim appellet liquationem, separationem illam rerum, quę inuicem erant cō fusæ? Attenuationis nomen bifariam accipi potest; primum pro vera liquatione cum scilicet humoris homogenei partes substantia crassæ redduntur substantia tenues quod non potest accidere, nisi tota totius substantia permutata, atque in speciem aliam conuersa; deinde pro liquatione impropria, cum scilicet non substantia permutatur, ex crassaque fit tenuis; sed variæ miscellæ contumaciter confusæ, & permixtæ, imperfecta tamen mixtione, separantur inuicem & diuiduntur; quod præstat Medicus per illa auxilia quę vim habent diuidendi, hoc est inciden di, seu, vt alij loquuntur, attenuandi. hinc ratio ponitur cur Medicus studens fluxiles reddere humores, non censetur contrarius naturæ, quæ illos per concoctionem incrassat; quia scilicet neque circa idem, neque secundum

idem

idem operantur. quæ Arist. de causis & de modis tollendæ concretionis & crassitiei disseruit de vera crassitie, & de propria liquatione intelligenda sunt; non de crassitie imperfecta, & de liquatione impropria. hæc tollitur primum per medicamenta fluxilia, humida, & tenuium partium; nam quatenus fluxilia non constantem, sed lubricam consistentiam habent; quatenus tenuium partium, non repelluntur obiecta crassitie; quatenus humida penetrant, & peruadunt omnia citissime; seque minutatim in angustissimos meatus conijciunt, quod humidi propriũ sit facile se ad quosuis terminos accommodare; humiditas & tenuitas via tantum sunt, & præparatio ad incisionem; fluxilitas sola incidit reuera; quia dum pharmacum humori crasso intermixtum locum subinde mutat, diuelluntur partes, contactusque illa arctitudo tollitur. hæc est ratio cur veteres Medici copiosas sorbitiones in morbis magnopere probabant; fluxilitas non per se, sed per accidens incidit; vt patet ex dictis; ob id pharmaca huiusmodi uix ausim attenuantia appellare; liquatio igitur impropriè dicta tollitur multo magis per medicamenta humida, tenuium partium, & calida; quanquam fluxilia non sint; quid partium tenuitas, quid humiditas præstet; iam dictum est; calor per se disgregat etherogenea, vt patet ex illius diffinitione; calorem dulcia obtinent mediocrem; sed qui adauctus illa statim reddit amara; vel etiã acria: hinc vulgo; bilescere facile dulcia omnia in nostro corpore; calorem maiorem obtinent amara; maiorẽ multo acria; dulcia igitur si partes habeant tum humidas, tũ tenues incidendi vim habent aliquam: his incidunt magis amara; si (quoniam sicca sunt) humore aliquo excipiantur; omnium maxime incidunt acria; si sint tenuium

partium quæ Gal. per antonomasiam incidentia, & attenuantia vocauit; quod Gal. non solis acribus, sed etiam amaris, sed ēt dulcibus incidendi vim tribuerit patet ex cap. 1. lib. 7. de composit. med. sec. locos. vbi ita legitur, dissimiles autem facultatibus &c. atque ex cap. 12. lib. 5. de simplic. medicam. facult. in quo ita legitur; quæcunq; repereris nitrosa & amara ea ad purgandos meatus omnes valere noueris. at cutis vniuersæ & vlcerum sordes non hæc tantum, sed viribus minora auferre possunt; qualia sunt dulcia quę tenuiū sunt partium, puta mel; & ex cerealibus seminibus quædā vt eruum, fabæ, hordeum, lupini, quanquam in ipsis fabacea, hordeaceaque farina tantum extergit; non etiam meatus farctu liberat; erui autē & lupinorum potissimum si amara fuerint, supra quàm quod extergunt, nonnihil quoque meatus purgare valēt. hæc Gal. dices, quomodo mel est tenuium partium cum Arist. lib. 4. meteorol. cap. 7. tex. 41. diserte scribat mellis crassitiem ad terram pertinere? cum item sit manifeste crassum? num enim crassum erit, quod constat tenuibus partibus? Respondeo mel ita ad terram pertinere, vt ēt ad aerem nonnihil pertineat; nam quanquam terræ habet plurimum, quia in aqua descendit; habet tamen aeris etiam non parum; quia dulcissimum est; dulcorque æq; vt aer temperiem, & mediocritatem amat; ex quibus sequitur mel partibus constare etherogeneis, hoc est non solum crassis, sed etiam tenuibus; quòd abstersio & incisio amaris cum acribus communis sit, non hoc tantum loco legitur; sed etiam pluribus alijs; maxime vero cap. 18. lib. 4. de simplic. medicam. facult. non solum amaris, non solum dulcibus, sed etiam temperatis, idest ijs quæ dulcibus minus calorem possident tribuit vim abstergendi.

Gal.lib.7.de ſimplic.medicam.facult.in voce crinos,ideſt lilium. Ad primam dubitationem: mel ſolum extergit illud quidem,ſed prima vaſa tantum, quoniam hæc valida exterſione opus non habent; hinc Medici in affectibus ventriculi frigidis cum materia melle vtuntur roſato colato; at vbi obſtructiones validæ ſunt in venis illasque craſſus valde humor infercit, mel parum poteſt eſſe ex vſu niſi illi vel acetum, vel etiam aliud quippiam addatur quod vim,& efficaciam augeat. Manna melle magis extergit,quia cum fiat ex halitibus & vaporibus à Sole extenuatis excoctis,& ſublatis, quos noctis frigiditas coagulauit,vt exponit Altimarus in libro de viribus mannæ, minus ad terram pertinet quàm mel;partesque tenuioris maiori copia poſſidet. Ad ſecundam de aceto ſcribit Galen.libro 4.de ſimplic.medicam.facult. cap.12. accedere illi ex putrido calore acrimoniam quandam; fieri enim acetum vino per putredinem calore proprio refrigerato, & adempto; qui Gal. Ariſt. teſtem citat; cuius ſententia eſt; acetum proprio quidem vini calore eſſe frigidum adſcititio calidum; quod ſi verum eſt, quid mirum ſi aceto vis incidendi ineſſe dicatur non quatenus acido;ſed quatenus acri? Iacobus Zabarella lib.3.de mixti generatione & interitu cap.9.reprehendit Galenum; probans nullo modo dici poſſe acetum eſſe vinum putrefactum; quæ ſententia ſi cui magis arrideat,quàm ſententia Gal. dicere is poteſt acetum ſolum nunquam incidere; incidentibus additum augere vim incidendi in illis additione tenuium partium; mel dictum eſt eſſe valde terreum, partesque tenues non magna copia habere; ſi igitur melli acetum addatur, iuuabitur tenuitas partium mellis;ſicque oximel erit valentius ad incidendum quàm mel ſolum.

ita

ita esse magno argumento est illud; quod nullus Medicus aceto solo, ad incidendum vsus fuerit: de succo citrij mali, idem dici potest illud nempe, aut præter aciditatem habere & acrimoniam aliquam; cum præsertim reliqua omnia illius mali, semina inquam, pulpa, & cortex sint manifeste acria; & cum nemo negare possit succo citrij mali scabiem extergi tum solo, tum etiam adiuncto sale; aut ratione tenuium partium alijs additũ quæ incidentia sunt, vim incidendi magnopere augere. Ad tertiam dubitationem vt respondeamus; examinanda ante est trita illa, & anceps quæstio de hordei natura, de qua luculenter Valeriola libro primo enarrat. 6. & Rorarius libello contradictionum Galeni contradictione 72. esse frigidũ hordeum videtur statuere Gal. lib. de ptisana; libro primo de alim. facult. libro 7. de simplic. medicam. facult. lib. 1. in Hippoc. de victus ratione in morbis acutis commen. 30. Hippoc. ante Galenum de hordei natura ita est philosophatus libro 2. de dięta cap. 3. hordeum natura sua frigidum est & siccum; inest & purgatorium quid à succo palearum &c. Hippoc. & Gal. dictis consentire videntur Paulus libro 7. & Aetius serm. 1. Gal. tamen ipse sibi non semper consentit; nam libro 4. de methodo meden. capite 5. scribit cataplasmata ex hordei farina facta calefacere, & humectare; proindeque puri mouẽdo esse maxime idonea; iam enim docuerat libro 5. simplic. cap. 2. 5. & 8. quæcunque suppurandi facultatem habent, illa calorem habere calori nostro persimilem; hoc est mitem, suauem, & humidum. Valeriola & Rorarius vt pugnantes Galeni locos concilient, scribunt; hordeum esse natura sua frigidum; cataplasma tamen ex hordei farina esse calidum ex permistione aliorum medicamentorum, ex quibus com-

ponitur; natura sua calidiorum. quod frigidum sit hordeum natura sua probant ex detergendi facultate, quam habet. quæ ratio ita me dij deæque ament risu est dignissima; quis enim detersionem retulit ad frigus vnquam? amara, acria detergunt maxime; quæ calida sunt non frigida. Responsio illorum ad locum Galeni libro 4. methodi medendi est non minus ridicula; non enim desunt loci alij in Galeno, quibus asseri videtur, hordeum esse particeps alicuius caliditatis libro 2. de simplic. medic. facult. cap. 13. scribitur diserte succum ptisanæ ex sua natura esse epicerasticum, idest habentem vim temperandi; at quod alia temperat, ipsum per se, & ex sua natura est temperatum. Hippoc. & Gal. libro 1. de victus rat. in morb. acut. tex. 18. scribunt ptisanam esse leuem, & iucundam; at leuitas & iucunditas à calore sunt; illa quidem manifeste; hæc ideo, quia suauitas omnis in alimentis est à dulcedine; dulcorem efficiunt qualitates temperatæ; ponamus igitur inesse hordeo moderatum calorem; quis poterit inficiari imminutum iri ex illius vsu excedentem in corpore nostro calorem; proindeque ex re minime frigida refrigerationem enasciturам? quis ignorat res temperatas frigidis comparatas videri calidas; comparatas calidis videri frigidas? vnde quęso tot hordeaceæ ptisanæ laudes in primo acut. 18. præ alijs ptisanis apud Hippoc. si qualitate aliqua hordeum insigniter excederet? temperatis inesse posse vim abstergendi constat ex Gal. libro 7. simpl. voce Crinos quod si illud ad frigiditatem nonnihil vergat, num coctione non tollitur illius frigiditas? Mea sententia hæc est: hordeum esse tenuium partium; quæ est Galeni doctrina libro 1. de alim. facult. cap. 9. item coctum humectare mediocriter; hinc enim pectori est

accom-

accommodatiſſimus ptiſanæ cremor; quia ſcilicet æquabili humiditate laxat; & hinc idem febribus hecticis maxime conuenit; experimento accedit auctoritas Hippoc. & Gal. loco citato. ſubiunxi (coctum) quia farinam hordeaceam certum eſt ex Gale. habere vim ſiccandi; quamquam illam ex toto hordeo neceſſe eſt factam fuiſſe, vt inſigniter exiccet; at hordeum coquitur non totum, ſed illius tantum medulla. Tres enim hordei partes ſtipula, cuticula, & medulla; hæc humectando, illæ ſiccando magis valent; naturaliq; medullæ conſtitutioni ab humectando non alienæ vim adauget aquæ humiditas; dum illa coquitur. idem hordeum temperatum eſt, parum vergens ad frigiditatem, quam tamen amittit diligenti coctura. nam Hippoc. loco cit. ptiſana inquit non tumeſcit in ventre; nempe inter coquendum, quoad maxime potuit, intumuit. certum eſt flatuoſam eſſe ptiſanam ex languido calore quem habet; quod ſi coctio flatum ab illa diſcuſſit; neceſſe eſt ab ea peccatum omne frigiditatis receſſiſſe; proindeque frigiditatem neque multam, neque valentē antea hordeo infuiſſe; refrigeratio ex decocta ptiſana nō eſt ex illius frigiditate; ſed ex illius humiditate, leui, continua, iucunda, & mediocriter viſcoſa; quantum enim æquabilis, & nonnihil permanens humiditas ad reſtinguēdum bilis, & calidioris humoris impetum valeat; cuiuis puto eſſe notiſſimum; præſertim cum illa calore non excedit; calor igitur tum naturalis, tum adſcititius per coctionem, iſque aut mediocris, aut à mediocri non admodum recedens, tenuitati partium & mediocri humiditati iunctus abſterſoriæ in hordeo facultatis cauſa eſt; multa eſſent de hordeo, & de ptiſana dicenda; quæ lubens prætermitto; quia non ſunt huius loci; ſed neque animus eſt

addu-

adductos ex Hippoc.& Gal. locos examinare, quoniam sententiæ nostræ nihil officiunt, quicunque sit eorum sensus. Quarta dubitatio facile tollitur; quia non idem est fundere quod incidere; quàm enim multa citra incisionē funduntur, & liquantur? deinde aqua non per se, sed per accidens abstergit, & eluit; quatenus scilicet tenui sua humiditate se inter sordem, & corpus cui sordes adhęsit, interponit; descendensque ob fluxilitatem & lubricitatem quam habet, vna secum trahit sordem, quæ à corpore diuulsa cui adhærescebat; neque sola in aere suspensa consistere potens; neque descendere ob tenuitatem valens ad aquæ corpus se adiunxerat. Ad quintam & sextam dubitationem respondeo nihil aliud ijs locis docere Galenum velle; nisi hoc; in febribus nempe præsertim magnis vitanda esse omnia incidentia, quæ insigniter calefaciant; ijsque solum medicamentis ad incidendum esse vtēdum in huiusmodi febribus quæ calore parum aut etiam nihil exuperent (quæ enim temperata sunt, aut primo ordine calida calidioribus morbis collata censentur frigida) qualia sunt iudicio Gal. eupatorium de quo lib.6. de simplic. med. facult. radix graminis de qua eodem lib. mulsa, oximeli, ptisana; de quibus frequentissime, vt locos enumerare superfluum sit; succus rosarum, de quo Mesues libro de simpl. cap. 10. ita scribit. succus rosarum calidus prope ad primum gradum; quia est à substantia terrestri, & frigida secretus; purgat, resoluit, aperit, tergit. Gal. libro 8. simpl. in voce rhodos aqueam substantiam rosarum facit calidam; idem libro 4. simpl. cap. 23. rosam constare dicit tribus partibus terrestri frigida, quæ adstringit; tenui calida quæ amara est; & aquea necessario frigida; subditque eodem in loco aqueum in rosa elaboratum,

exte-

extenuatumque atque excalfactum quodammodo videri; quæ est contradictio manifestissima; dic aqueum rosarum appellari frigidum, comparatione partium tenuiorum, & calidiorum earundem rosarum, in quibus dixit illarum amaritudinem consistere. hinc colligo syrupum rosatum simplicem de infusione rosarum recentium, quem describunt Nicolaus & Mesues conducere in febribus ad incidendum; magis quàm syrupum rosatum de succo rosarum; quoniam per infusionem commodissime extrahitur non tantum aqueum, sed etiam tenue rosarum, terreumque frigidum, quod adstringit; certius separatur per rosarum infusionem, quàm per illarum expressionem. oxalys de qua Gal. libro 7. simpl. in voce lapathum, illam exylapathum vocans tametsi nonnihil repercutit; digerẽdi tamen vim aliquam possidet, quasi dixerit, incidit etiam necessario; capillus venenis recens incidit & attenuat; estque moderate calidus; incidere illum probat illius vis aperitiua & diuretica. idem dicendum de emulsione seminum melonum. his accedunt syrupus de acetositate citri, syrupus de succo acetosæ, syrupus de capillis veneris, syrupus de eupatorio; syrupus acetosus simplex, & syrupus de liquiritia; nam & hæc modice abstergit cum sit dulcis; caloreque minime excedit; quid statuendum de cichoreo, & de endiuia? Gal. libro 8. de simplic. med. facult. in dictione (seris) quod nomen & cichoreum, & endiuiam complectitur. (est enim cichoreum seris agrestis; endiuia seris domestica, & satiua.) statuit hoc olus esse frigidæ, & siccæ temperaturæ gradu primo. itẽq; vim habere adstringentem. at hæc quid ad incidendi facultatem attinent? suspicari quispiam possit incidere & attenuare cichoreum atque endiuiam ratione amaritu-

dinis,

dinis, quam habent; tempore præsertim æstiuo cum sunt amariora; verũ sicut nemo negare potest cichoracea omnia aliquatenus extergere; ita fatendum est eadem refrigerando, & corroborando longe plus valere quàm incidendo, & attenuando. quod manifeste docent Gal. verba in lib. 8. de composit. medicam. secun. locos cap. 8. quę ita habent. facultas horum olerum (de cichoraceis loquitur) subfrigida est, & subamara, ac moderate adstringẽs; & propter has qualitates optima pharmaca calidis intẽperaturis ipsius hepatis existũt; vltra hoc enim quod moderate refrigerant; amplius & robur visceri addunt per adstrictoriam facultatem; insuperque commissuras osculorum venarum infima visceris parte ad eas quæ in gibba sunt, extergent; neque vero frigidas intemperies magnopere lædunt, quemadmodum quæ frigidam humiditatem absque adstrictione, aut amaritudine possident, facere solent. hactenus Gal. qui cum paulopost verba faciat de ijs quæ obstructiones hepatis tollere, & meatus aperire possunt; syluamque adducat ingentem medicamentorum ad id faciẽtium, non tamen cichoreum, aut cichoracea nominat; quasi illorum virtus ad refrigerandum, atque corroborandum præcipue valeat, non ad extergendum, & aperiendum. Filix meo iudicio ad valenter incidendum citra manifestam caliditatem aptissima est in malignis febribus; de qua sic Gal. loco proxime citato philosophatur; ad hepatis expurgationem, & meatuum apertionem citra manifestam calfactionem, aut refrigerationem optimum pharmacum filix est, prædominantem habens amaram qualitatem; de filice lege eundem Gal. libro 8. simplic. in dictione pteris serum lactis siue refrigerat vt sensit Gal. 4. simplic. 16. siue calefacit, vt

Mesues

Mesues & Auicenna putauerunt; omnino parum abest à quocunque excessu; non refrigerare insigniter constat ex Gal. qui libro 3. de alimentorum facult. cap. 15. scripsit illud esse particeps alicuius caliditatis; & libro 2. de simpl. med. facult. cap. 13. lac posuit inter temperata medicamẽta: quod non fecisset, neque facere potuisset, si seri frigiditas vltra modum excederet, serum lactis habere vim abstergendi, & incidendi tum ipsa constat experientia, tum etiam Gal. auctoritate, qui libro 2. de simpl. medic. facult. cap. 12. inter salsuginosa, & acria illud collocat. dices, quo modo à frigido medicamento oriri potest abstersio, & incisio? Respondeo, in sero esse duas partes, aquosam, & aeream; ab illa refrigeratio, ab hac abstersio nascitur; illud colligo ex Gal. qui lib. 2. de simpl. med. facult. cap. 17. scribit omnibus plantis natura inesse duo excrementa, alterum crassius, alterum serosius; atque hoc tenuius, aquosiusque quodammodo compositum esse ex aerea essentia & tenui serosa; idest, vt ego interpretor, aquosa: quod de seroso plãtarum excremento Gal. notauit; multo probabilius est de lactis sero veritatem habere; cum maior sit & vegetior animalium, quàm plantarũ calor; plus valere serapia facta ex decoctionibus herbarum; quàm serapia officinarum ostendetur infra in capite de debita victus administratione in morbis acutis.

De pharmacis quæ nocentem, & vrgentem caliditatem à malignis humoribus auferunt. Cap. III.



ALIGNITAS, vt dixi, humoris, nihil eſt aliud, quàm intenſa quædam, & contumax putredo; cum igitur putredinem Ariſt. lib. 4. meteorolog. cap. 1. diffiniat interitum proprij & naturalis in quouis humido caloris ab aduentitio calore profectum, ſcilicet ambientis; dicendum eſt duas potiſſimum in humore maligno, & inſigniter putri qualitates reperiri; vitæ noſtræ, ſeu quod idem eſt, caloris noſtri inimiciſſimas; altera eſt calor præternaturalis; in quem tanquã in cauſam caloris naturalis rei putreſcentis interitus refertur; cenſendum enim eſt calorem qui humoris putreſcentis calorem interimebat; humore iam facto putri in naturalis caloris locum ſucceſſiſſe; eo modo quo hoſtis, qui mœnia oppugnabat; vrbe capta, vrbis poſſeſſor, & Dominus fit, antiquo domino aut extincto, aut longiſſime abacto; eſtque item exiſtimandum eandem cauſam vitæ noſtræ exitium afferre poſſe, quæ humori iam facto putri exitium attulit: altera eſt nimia quædam & excedens humiditas; cum enim res quælibet putreſcat per extinctionem naturalis caloris, naturali humiditate etiamnum integra manente; hæc humiditas euadit in rem exitioſam, & valde noxiam; tum quia fit ſubiectum firmum & ſtabile aduentitij caloris, qui ante erat in ambiente ſolũ, hoc eſt in fuliginibus quæ exhalare propter obſtructiones in-

gentes

gentes non potuerant; tum quia aduentitio illi, & pręter naturali calori mobilitatem; altam, facilem, & intimam insinuationem; vaporosumque, fœtentem, acrem, acutũ, exurentem, & vere putredinosum halitum addit, quæ est facta iam & consummata putredo; quòd fœtor accidens proprium est putredinis, vt docet Gal. lib. 1. prognost. cõmen. vlt. & lib. 5. de simplic. med. facult. cap. 15. vnde fit, vt putredini humiditate adempta; ipsa quoque necessario tollatur; quia vt philosophi docent corrupto subiecto, corrumpuntur omnia, quæ sunt in subiecto; is enim calor, quem ex Arist. aduentitium vocabamus, est quidem efficiens causa putredinis; non tamen putredinem formalem constituit, nisi cum se in rei putrescentis humiditatẽ propagauit, naturali illius calore extincto & labefactato. hęc quomodo fiant, quatenus fœtor nascatur ex aduentitio calore cum naturali humiditate iuncto; & quatenus putris excrementi fœtor vitæ arcem facillime inuadat; solidasque nostri corporis particulas in consimilem putredinem adducat alterius loci est declarare. hæ duæ qualitates sicut & reliquæ non tolluntur, nisi per contrarias; exurentis illius caloris, qui aut putredinem facit, aut cum putredine est iam facta; contrarium est refrigeratio; humiditatis contrarium est exiccatio; docendum igitur est quænam aptissima sint tum præter naturalem in febribus malignis calorem refrigerare; tum excedentem in ijsdem humiditatem exiccare; quod ita aggredimur à refrigeratione exorsi. Gal. commen. 1. in lib. de victus rat. in morb. acutis commen. 43. cum ignis (inquit) tum calidus cum siccus sit, atque ob id etiam febris; sane aqua febris naturæ aduersissima est, corpus tum refrigerans, tum humectans; & sanè ab ea, si tempestiue detur; febris omnes ex-

tingui videntur. idem Gal.lib. 10. de methodo medendi cap.5. diariam ex ira largo potu frigidæ extinguit. cap.6. eiusdem libri præcauet hecticam eodem remedio; lib. nono methodi cap.5. copiosa frigidæ exhibitione curat cõtinentem febrem; quod idem facit cap. 16. eiusdem libri, & lib.4. acutorum 12. libro autem 11. cap.9. potu frigidæ largo & copioso curat putridam febrem; quapropter verissimum apparet, quod commen.43. libro 1. de victus rat. in morbis acutis Gal. monuerat; frigidam cuiuscunq; generis febribus remedio esse; dum affatim, & copiosissima bibatur, vt propterea dubitandum non sit malignis quoque febribus illam conuenire; eoq; magis quod Cornelius Celsus libro 3. cap. 7. in pestilenti febre frigidam copiose exhibet. obijciat aliquis dixisse nos antea exiccationi studendum esse maxime in febre maligna; proindeque frigidam non conuenire, quia largissime humectat. Respondeo excedentem illam humiditatem non nocere, saltem exitialiter, nisi cum aduentitium & putredinosum calorem sibi habet adhærescentem; proindeq; extincto, aut saltem maxima ex parte imminuto putredinis calore, noxam quæ ab ea imminebat, non ita vrgere, quemadmodum antea vrgebat; proindeque commode posse illius euacuationem expectari; hinc Auicennas libro 4. fen 1. tract.4. cap.4. summa inquit curationis febrium pestilentialium est earum exiccatio; qui tamen subdit paulo post in eodem cap. aquam frigidam copiose, & confertim exhibitam esse iuuatiuam valde in pestilentialibus febribus. Cum autem constet frigidam ex se conferre ad quamcunque febrem etiam ad eam quę aut maligna, aut pestilens est; videndum est ecquæ Gal. obseruari iubeat; in illius exhibitione; libro 9. de methodo meden. cap.5.

scribi-

ſcribitur non tuto frigidam febricitanti propinari ſi corpus magnis, & contumacibus obſtructionibus affectum ſit; ſi putridi humores crudi ſint, & minime cocti; ſi in principe aliqua parte tumor vllus ſit è phlegmones, ædematos, ſcirri, aut eryſipelatis phlegmonodis genere; (eryſipelas verum in aliquo viſcere conſiſtens non excipitur, quia vt ibidem ſubdit Gal. illud non aliter quàm frigidæ potu ſanatur.) ſi multæ ægrotantis particulæ ſint imbecillæ, v.g. gula, ventriculus, ventriculi os, iecur, colon, pulmo, ſeptum tranſuerſum, renes, veſcica; aut ex his aliqua magis præcipua; quo loco ea imbecillitas intelligenda eſt quæ naſcitur ex intemperie frigida; ſecus ipſe ſibi Galen. contradiceret, qui lib. 7. metho. cap. 4. ventriculum ex æſtu, & ardore imbecillum frigidæ potione perſanat; ſi denique ægrotus carnis & ſanguinis perparum habeant ſui dicti, hanc rationem reddit Gal. quod niſi hæc quinque caueantur in frigidæ exhibitione; periculum ſit vt lenti, craſſique humores attenuari, digerique prohibeantur; vt ægrotus aut difficultate ſpirandi, aut conuulſione, aut tremore corripiatur; aut denique neruoſo aliquo genere inſigniter lædatur; vt denique ſolidæ animalis partes frigidæ exangues, imbecillæ, & impotentes reddantur. Contra hanc Galeni doctrinam multæ dubitationes adduci poſſunt, quas diluere oportet, vt veritas illuſtrior, & explicatior fiat. Primum Auerroes libro 7. collectaneorum capite 8. quando (inquit) omnia particularia, concordant cum febre, quæ eſt arſiua, & infirmus multum deſiderat aquam frigidam; non in hac eſt digeſtio expectanda; quia æger ante digeſtionem conſumetur; & ſi feceris ipſum pati vſque ad digeſtionis apparitionẽ; tunc erit ipſius digeſtio mala; quemadmodum eſt nebula nigra, aut hypoſta-

fis

ſis nigra propter nimietatem combuſtionis,& tunc aquę frigidæ exhibitio non valebit; & propterea melius eſt in principio ſine etiam digeſtionis ſignorum apparitione exhibere; & non curare ex dictis aliquorum; quoniam hæc res eſt veraciſſime probata; nam materia quæ talem facit febrem qualis iſta eſt; cum ſit in vltimo caliditatis non eſt priuata digeſtione, niſi propter malam qualitatẽ acutam,non propter groſſitiem, nec propter viſcoſitatẽ; & quando hanc infrigidabis; tunc ſtatim erit materia digeſta; & melius eſt vt conuertas talem febrem ad febrem lentam, & longam,quæ curari poteſt, quàm æger ſubito moriatur; nam error qui fit in alteratione complexionis febrium facilior eſt,quàm mors; & ego credo,quod illi, quibus digeſtio debet expectari, ſi detur aqua frigida,citius curarentur,ſi eius virtus extitit fortis,quamuis ægritudo fuerit longa; hæc & alia Auerroes, qui tamen modeſte agit,hanc non obſcure cauſam reddens cur à Galeno dogmate deſciuerit; quod ſcilicet ardentes febres in Africa acutiores ſint, & magis vrentes ob Climatis æſtum quàm in Græcia; proindeque illic quàm hic debere eſſe Medicos licentioſiores & audaciores in propinanda frigida; cum ſit veriſimile in regione æſtuantiſſima vigere maxime ſynceram bilem; contraque pituitam, & humores craſſos inde longiſſime abeſſe. Secundo non videtur expedire, vt febricitans frigidam copioſe, & affatim bibat; niſi illam ſtatim euomat; quoniam Hippoc. lib. 5. epidem. narrans morbum, & ex morbo obitũ vxoris Antiochi in Lariſſa; poſt narrationẽ illico ſubdit; videbatur autem viuere potuiſſe; ſi aquam bibere potuiſſet; ac ſtatim vomere; priuſquam deglutiuiſſet. Tertio videtur Gal. aliqua prætermiſiſſe eorum, quæ neceſſaria ſunt omnino

nino, vt febricitanti tuto frigida propinetur; nam Cornel. Celsus lib. 3. cap. 7. non exhibet frigidam nisi magna in ægroto siti antecedente; idemque cauet dolores omnes, internum vlcus, profluuium alui, & tussim etiam leuem: quin Gal. ipse libro 1. in Hippoc. de vict. rat. in morbis acutis commen. 43. frigidam non exhibet nisi constā te virtute; quod hic scribere prætermisit; idemque tametsi innuerit non obscure frigidam non esse exhibendam nisi in statu, & vigore febris, cum scilicet notæ apparent concoctionis; non tamen docuit, quod tempus particularis exacerbationis sit huic rei opportunum; quanquam Galeni incuriam suppleuit Aetij diligentia qui libro 5. capite 72. ita scribit; neque in principio, neque in augmento danda est frigida, sed in ipso vigore totius morbi ac particularis exacerbationis. Quarto obijciunt alij, Galenū tam religiose, totque sancitis legibus frigidæ potum cauere; vt si illius doctrinam sequi volumus; vix vllus ægrotus tempore aliquo inueniatur; cui hoc remedium conducere possit. Quinto apparet Galenum non eo animo quinque illa cauere in exhibenda frigida, quasi illorum quolibet præsente, etiam si non adsint reliqua quatuor; summum piaculum sit febricitanti propinare frigidam; explicandum erat igitur ad artem accommodate, quę magis, quæ minus, quæ maxime, & quæ minime frigidæ potum aut permittant, aut prohibeant; qualisque & quanta vniuscuiusque eorum quæ cauentur sit ratio habenda; illud probatur ex verbis ipsiusmet Gal. nam libro 10. metho. cap. 6. de febricitante sermonem habens, cui vel ex lassitudine, vel ira, vel pluribus curis, vel vigilijs, vel tristitia, vel longa inędia, vel vniuersis vnà coeuntibus corpus supra modum siccatum est; hunc (inquit) oportet

quamprimum ptiſanæ cremore,& ſorbitione ex alica nu tritum,paneque poſt oblato,aquæ frigidę potione cures; modo (vt dictum eſt) nec phlegmone aliqua ei ſit adiun cta; nec putredo humorum ; nam ſi horum vtrumuis ſit, attendere diligenter oportet,ac diſcernere, quo primum tempore aquam frigidam dare homini ſit audēdum; ego enim talium quoque non paucis dedi,tutius eſſe ratus phlegmonas in præſens augere, quàm ſinere hominem hecticam febrem incurrere. hæc Gal.qui lib.9.metho. ca pite 5.quod ſi (inquit) curare aliquando infirmum coge-ris, cui non ſolum antea ſecandæ venæ remedium prætermiſſum eſt; ſed nunc quoque vel per Medicorum igno rantiam,vel ipſius laborantis,propinquorumq́ue eius timiditatem procedente tempore mittere ſanguinem prohiberis ad frigidam exhibendam accedes, ſed diligenter ante diſcernens,quantum ex ea nocumentum contingerę poſſit; nam ſi id aut exiguum erit,aut nullum ; offerenda potui eſt,quæ prorſus ſit egelida, quantum bibere ægro libet; quinimo magis id audebis ſi frigidę potioni inſueuerit; ſin magnum timetur incommodum,ab hac quidem abſtinendum,atque alijs auxilijs,quibus obſtructio eximatur,& abundantia vacuetur; & febris feruor defer ueat,vtendum. hactenus Gal. qui cum paulopoſt quinq; enumeret,quæ cauenda ſunt in frigidæ exhibitione; cenſendum eſt illa aut omnia,aut aliqua & parum & multum poſſe incommodare frigida pro potu exhibita. Vt hæ dubitationes diluantur ; concluſiones aliquot ponendæ, & demonſtrandæ ſunt ; quarum prima hæc eſt ; frigida non conuenit niſi in vigore morbi , quando humores perfectam concoctionem receperunt ; ſi quidem morbus natura ſua ſit ſaluber . & pendeat à coctilibus humoribus

etenim

etenim frigida cum non ſit apta recipere concoctionem vllam, quoniam eſt elementum ſimplex; epota neceſſario aut putreſcit, aut conuertitur in bilem; aut tota in vapores digeritur; aut denique vel per vomitum, vel per deiectionem vel per vrinam, vel per ſudorem euacuatur. putreſcere illam, & conuerti in bilem non expedit febricitanti; totam in vapores digeri eſt impoſſibile; ſi magnis hauſtibus epota fuerit; quod ſi febricitans paucam biberit, citius ea in bilem, quàm in vapores reſoluetur: Medico igitur cumprimis expetendum eſt vt frigida à febricitante epota illico euacuetur; at ſi morbus in ſtatu fuerit, habemus tum naturam euacuationi adminiculantem; quod expellens facultas in actum educi ſoleat, mox atq; facultas concoquens & alteratrix facultas munere ſuo perfuncta eſt; ſpemq́ue certam habere poſſumus vnà cũ aqua humores etiam iam concoctos, & præparatos euacuatos iri; ante morbi ſtatum natura omnia retinet; eſtq́ue alieniſſima ab omni euacuatione; ergo &c. Præterea frigida copioſe ebibita difficile admodum per totum corpus digeritur; niſi in eo magnus aliquis, & ingens calor fuerit, qui digeſtionem, hoc eſt diſtributionem promoueat; hinc ſani, refrigeratum corpus habentes; tempore præſertim frigido; ſi frigidam bibant affatim & copioſe; ea aut vomitu excernitur, aut per aluum euacuatur; aut moratur in hypochondrijs; cum igitur præcipuus epotæ frigidę finis ſit, vt ea per corpus totum diſtributa, illud vndequaque refrigeret; tum maxime frigida propinanda eſt in morbo, cum corpus maxime incaleſcit; quod certum eſt non euenire niſi in ſtatu, & vigore morbi. Secunda concluſio, in febribus natura inſalubribus, in quibus ſcilicet concoctionis progreſſio minime apparet; ſi calor

exurens vrgeat; mineturque naturalis caloris extinctionem; frigida ante statum; hoc est in tempore augmenti propinanda est; quorsum enim statum expectare ad commodiorem euacuationem; cum in statu nulla certa euacuatio sit subsequutura? & quorsum vigentis morbi excandescentiam cunctari; quum plerunque accidat in ardentibus febribus; vt feruor augmenti in salubris morbi longe excidat acutie feruorē status morbi salubris? quod si in statu morbi salubris ad calorem attemperandum frigida conceditur; cur eadem in augmento morbi insalubris, ad similem & fortasse etiam maiorem calorem attemperandum non concedetur? dices obstare tum obstructiones, quæ causa esse possunt, vt frigida ob viarum occlusionem in visceribus retenta, illic putrescat nouiq; mali causa fiat; sed de obstructionibus mox. Tertia conclusio in febribus, quæ à coctilibus humoribus non pendent, si calor vrgeat; omni morbi tempore frigida propinari potest; ratio est quia neque obstructiones adsunt, quæ caueantur; neque status qui subsequetur; ad commodiorem aquæ euacuationem quidquam faciet; neque possibile est fortasse vt inflammatione, vel alio tumoris genere viscus aliquod affectum sit; voco autem febres à coctilibus humoribus non pendentes tum diarias; tum etiam illas, quæ ex bile fiunt citra putredinem vsta & inflammata. quod in febribus diarijs quamprimum frigida propinanda sit, si calor, & exiccatio vrgeant, statu minime expectato docet disertis verbis Gal. libro 10. de methodo meden. cap. 6. quod autem cum bilis citra putredinem vritur, neque tum concoctio expectanda sit ad frigidæ exhibitionem ita ostendo; quo diutius, & quo magis bilis vritur; eo longius abest à concoctione; idem est igitur ex-

tur expectare concoctionem in huiuſmodi febribus ad frigidam exhibendam; atque impedire concoctionem; bilis enim refrigerata, & vri deſinens apta erit vt à naturali calore concoquatur; quæ dum vritur ad concoctionem eſt ineptiſſima; vtpote quam non naturalis, ſed præternaturalis calor ſubigit, & excoquit. dari febres huiuſmodi in arte medica demonſtratum eſt; Valeſius libro 5. epidem. commen. 18. hinc (inquit) conſtat non admodũ arcendos ab aqua eſſe eos, qui ex ſyncera bili febricitãt; eius enim ſucci, vt alio loco monſtratum eſt, alteratio, vſtio eſt potius quàm putreſcentia. Quarta concluſio in quibus febribus vrentibus concoctionis, & ſalubritatis ſigna non vſque adeo apparent; ſi internus calor, & ſitis admodum vrgeant; in augmento, aut in extremo principio frigida eſt propinanda, neque ſtatus expectandus; tametſi corpus infarctum ſit obſtructionibus. quam concluſionem ita demonſtro; ſi ægroto nunquam eſſet concedendus frigidæ potus niſi corpore obſtructionibus libero, & ſoluto, dicendum eſſet neceſſario, frigidam non conducere, & non eſſe laudabilem niſi in febribus manifeſte ſalubribus; conſequens eſt falſum, ergo &c. probo maiorem propoſitionem; morbi qui ad ſtatum, cum ſignis concoctionis peruenerunt non poſſunt ægrotum interimere; niſi forte natura non potente præ imbecillitate humores iam concoctos euacuare; at virtute non conſtante iam dictum eſt frigidæ potum non probari. Morbus igitur in quo poſt notas concoctionis, & poſt ſublatas obſtructiones (non enim concocti humores obſtructionem facere dicuntur proprie) frigidæ potus conceditur; neceſſario eſt ſaluber; Minorem propoſitionem ita demonſtro; ſiue ſaluber, ſiue inſaluber morbus ſit; eædem omnino ſunt

indicationes; & remedia quoque ſunt eadem; tam igitur frigida conuenit febri inſalubri, quàm ſalubri; ponamus vero conſilium inire Medicum de tempore propinandi frigidam ægroto inſalubriter febricitanti; num is morbi vigorem expectabit, quando vires erunt maxime proſtratæ, extinctionique proximæ; an in medio augmento illam exhibebit, quum calor vehementer vrgere incipit, vt ægrotum ad inferos properantem velut è curſu reuocet? Quod quidam inquiunt manentibus in ægroti corpore obſtructionibus periculum eſſe frigida exhibita, vt vel ea propter vias euacuationis interclusas computreſcat; vel humores obſtructiones facientes recrudeſcant; nullius momenti eſt; quoniam epota aqua aut nunquam, aut difficile corrumpi in corpore humano poteſt; argumento ſunt hydropici, & humores qui recruduerunt: quũ priorem morbum facere deſierint fortaſſe nouæ febris neceſſaria cauſa non ſunt, niſi poſt aliquod tempus; at aqua poterit facile educi per pharmacum antequam putredinem concipiat, quoniam attenuantibus & præparantibus nõ indiget, vt euacuetur; & quanquam etiam corrumperetur, non tamen magnum inde màlum ſubſequeretur propter illius tenuitatem; fluxilitatem; & ſimplicitatem: humores autem qui recruduerunt antequam nouæ febris cauſa ſint, aut poſſunt corrigi, attenuari, & ad meliorem frugem reuocari; vt febris quæ ſubſequetur non deterior ſit priori; quod iureiurando poſſum affirmare me in me ipſo expertum fuiſſe; biberam frigidam copioſe, & affatim in augmento malignæ febris; quæ hoc remedio paulopoſt extincta eſt; poſt paucos dies confirmatis ex præcedenti morbo viribus; humoribusque tum bona victus ratione attenuatis, tum aliqua ex parte vacuatis, inuaſit

me

me febris duplex tertiana; quæ etsi fuit longiuscula, perpetuo tamen intermisit; securitatemque maximam semper præ se tulit. quod si pertinax in opinione aliquis non credit frigidam affatim & copiose ab ægrotante bibitam cui multę sint obstructiones à morbo penitus posse illum liberare; audiat Galenum, cuius se asseclam & studiosum fingit ita scribentem libro 9. de methodo medendi cap. 5. Porrò incommoda quæ intempestiue immodiceque exhibitam sequuntur in his consistunt, quod lentos crassosque humores siue hi obstructiones, siue putredinem, siue phlegmonem, siue qualis erysipelas, aut scirrus, aut œdema est, affectum creauerint; attenuari, digerique prohibent: ergo quoties ex his febris accenditur, atque ad eos vacuandos frigida data non conducit; ad præsens quidē non paruum affert leuamen, propterea; iam accensam febrem extinguit; verum cum causa eius adhuc perstet, aliam denuo accendi est necesse; atque ea quæ præcessit nonnunquam difficiliorem, propterea que densatum ex frigida corpus est; atque hæc vna noxæ species est minime contemnenda. hactenus Gal. si igitur frigida febrem extinguit etiam tum exhibita cum obstructiones multæ in corpore sunt; si noxa ex frigida tempore obstructionū pota est solum non contemnenda; num credemus Galenum si viueret illam non esse exhibiturum in maligna & insalubri febre, multis etiam in ęgroti corpore obstructionibus existentibus? obijciat rursus alius audacior frigidam non extinguere, sed solum imminuere posse febrem quæ cum multis obstructionibus sit; non veritus in hoc contradicere Medicorum omnium Principi Gal. quod quanquam vltro illis concedamus, non tamen id à nostra opinione nos potest dimouere; quoniam in morbis

magnis,

magnis, malignis, & natura insalubribus temporis induciæ ad mortem euitandam, & ad mutandam morbi constitutionem plurimum valent. at febre imminuta, & remissiori facta certum est longiora reddi oĩa illius tempora; morbumq; fieri minus celerem, & minus acutum. Ludouicus Mercatus libro 1. de indicatione medica capite 11. fol. 168. & 169. scribit frigidam non esse propinandam in principio vel augmento morbi, quum scilicet vigent obstructiones, nisi minori quantitate quàm Græci, & Arabes in statu concedant; quæ sententia mihi minime probatur; quia quæ ratio poscit vt frigida in statu mali salubris vsque ad ęgri satietatem, & affatim exhibeatur: eadem poscit quoque vt illa in principijs vel augmento morbi insalubris eadem mensura, & eodem modo exhibeatur. vtrobique enim ab vrgente calore indicatio sumitur refrigerandi; quantitas autem frigidæ vtrobique sumitur præcipue ab aquę & caloris natura; quoniam aqua pauca quantitate pota in bilem facile vertitur; pota autem quantitate maiore bilem retundit, atque refrigerat. non negauerim aliam quoque ob causam ægroto frigidã magna copia præscribi, vt scilicet vacuatio aliqua subsequatur; quæ causa magnum in morbi statu, paruũ in morbi principio, & augmento momentum habere videtur; quoniam concoctis humoribus facile succedit quælibet euacuatio, quod naturam tũ habeamus euacuationi adminiculantem; humoribus autem crudis contra se res habet; ob id Hippoc. concocta inquit medicari oportet; nõ cruda. re tamen ipsa non ita est; quoniam cum aquæ copia multum faciat ad aquæ euacuationem, quo natura ad euacuandum est procliuior; eò minus necessarium est ad aquæ euacuationem; illam esse copiosam & multam;

proin-

proindeque si volumus aquam quæ ab ægroto bibitur, ab eodem quamprimum euacuari; copiosior illa esse debet in principio & augmento morbi, quàm in morbi statu; cum natura tum sit ab omni euacuatione aliena; neque tamen is qui frigidam ægroto ante statum concedit contra Hippoc. facit concocta medicari, monereque non cruda consulentis; quoniam Hippocr. de humoribus loquitur, qui morbum faciunt, & præparatione atque attenuatione indigent, non de aqua quæ pota cum sit tenuissima, nulla indiget præparatione vt euacuetur. quod si Mercatus dicat orationis suæ hunc sensum esse; facta ad vnum & eundem morbum comparatione; copiosiorem semper esse debere frigidam quæ in statu, quàm quæ in augmento præscribitur; constanter affirmo ineptam esse, &inutilem eam comparationem, quoniam quum spes est frigidam in statu esse profuturam; nunquam in augmento ea concedenda est. Quinta conclusio & obstructiones; & imbecillitas particularum, & phlegmon, & corpus gracile atque excarne eatenus frigidæ potum copiosum prohibent; quatenus ex epota frigida maiora subsequuntur mala, quàm bona; incommodaque quàm commoda; quod si frigidæ commoda superant eiusdem incommoda, quia scilicet neque imbecillitas particularum sit admodum magna, neque gracilitas corporis tanta sit, vt sanguis frigidæ occursum ferre non valeat; non debent hæc à frigida propinanda Medicum retrahere: hæc doctrina Gal. est tota in lib. 9. de methodo medendi cap. 5. ac quanquam breuissima oratione perstringitur; complectitur tamen meo iudicio omnia, quæ ad frigidæ potum, aut permittendum, aut prohibendum in febribus quibuscunque videntur posse pertinere. Sexta conclusio

frigida

frigida non conuenit in vllo febrium genere, nisi quum calor vehementer vrget; ratio est, quia remedia debẽt esse morbis proportionata; magnaque magnis, parua par uis, mediocria mediocribus respondere. Hinc Hippocr. in extremis (inquit) morbis, extremis est vtendum reme dijs. Aqua elementum est frigidissimum; non igitur cõ-ueniens remedium est, nisi quum caliditas ignea & præternaturalis tanta est, vt tolli non valeat, nisi per illud qđ potens est summe refrigerare; ob id Gal. loco proxime citato potum frigidæ facit vicarium sectionis venæ; quia scilicet vtrunque remedium est magnum; & magnis so-lum morbis conueniens; cum igitur non quiuis calor e-xurens frigidam exposcat; sed ille tantum qui magnus est. signa exponenda sunt magni in febre caloris; hæc vero sunt sitis intolerabilis; summa exiccatio; denigratio & a-speritas linguæ; irrequieta iactatio corporis; vigiliæ acu-tæ; calor ad tactum acriter mordens; oculorum, & faciei perpetuus rubor; pulsus vehemens; vrinæ tales, quæ ma-gnam in venoso genere ebullitionem, & æstuationem si-gnificent; & id genus alia, de quibus alibi fusius, & exa-ctius. Nunc tempus est, vt propositas dubitationes di-luere incipiamus. Ad primam respondeo Auerroem ha-bere sermonem de bile vsta potius, quàm putrefacta; ac quanquam is de coctili bile verba faceret; non tamen quidquam contra Galeni doctrinam diceret; vt ex quin-ta conclusione perspicuum est. Ad secundam respon-deo, Hippocr. eo in loco non habere orationem de potu frigidæ, sed de aqua vomitoria, vt ex totius historiæ con-textu compertum est; voco autem vomitoriam aquam il-lam, quam Medici ad ciendum vomitum præscribere so-lent; qualis est tepida; oleosa; & nauseabunda. Ad ter-

tiam

tiam respondeo non esse arguendum Galenum, quia minutiora aliqua prætermiserit; vel tanquam vulgo Medicorum trita, lippisque & tonsoribus notissima; vel tanquam facillima, vt ex alijs quæ docuit deducerentur. Ad quartam respondeo, Galenum docere generatim illa omnia, quæ frigida epota afferre possunt ægroto nocumentum aliquod insigne; non tamen illum asseuerare nunquam esse frigidam potandam; quum illa quocunq; modo adsunt; scribit is alibi nullum posse reperiri remedium adeo bonum, quod non aliqua ex parte incommodet; nũ propterea remediorum vsum omnem interdicit? Erat sanè necessarium vniuersalem quandam ideam proponere eorum omnium, quæ in exhibenda frigida sunt cauenda; vt in eam tanquam in exemplar quoddam respiceremus; quotiescunque frigida est exhibenda: non ad vnguem & exacte perfectum exemplar sequuturi; sed quantum fieri potest enitentes vt ad illud prope accedamus. hoc fuisse Gal. consilium demonstrant ea verba in lib. 9. methodi cap. 5. nec ignoro quod formidolosum te ad frigidam offerendam ex ijs quæ memoraui redderem; nisi ea me vsum subinde vidisses; semperque cum successu; nec ægrum in vllo manifeste læsisse. Ad quintam dubitationem respondeo non fuisse necessarium; vt Gal. distincte omnia doceret; quæ spectant ad frigidæ potum; satisque illum Doctoris muneri fecisse; quum rerum capita fusissime & lucidissime exposuit; ingeniosi Medici iudicio relinquens ea, quæ magis particularia sunt; quoniam hæc ad certa artis capita reducere est impossibile. Num vero bene faciunt aliqui, qui pro frigida vel aquam hordei, vel aquam acetosæ, vel serum caprillum affatim, & copiose exhibent in malignis febribus? num item illi

prudenter agunt, qui frigidæ saccarum permiscent? Aqua hordei habet haud dubie vim refrigerandi, extinguẽdi sitim, & prouocandi sudorem; frigida tamen & magis refrigerat, & potentius extinguit sitim quàm illa: eadem nõ prolicit sudorem, nisi hordeo leuiter incocto; quę pręparatio reddit eam valde flatuosam; quia (vt Hippocr. philosophatur sect. 18. lib. 1. de victus rat. in morb. acut.) hordeum inter coquendum non intumuit, quoad maxime potuit: dicendum est igitur aquam hordei non tantundem ac frigidam valere; quoniam illa si tenuem substantiã ex leui coctione habeat, est nimis flatulenta, proindeque noxia; quod si crassiorem substantiam ex diutina coctione habeat; non potest magna copia exhiberi; qui vero fieri potest vt aqua hordei minori vi refrigerandi prædita quàm frigida, pauciore item quantitate epota, quàm frigida potari soleat; æque ac frigida refrigeret? qui item probabile sit hordei aquam: frigidæ vicem commode gerere posse; cum frigida sumpta idonea maxime sit vt per multas vias excernatur; hordei vero aqua non quærat sibi exitum per sudorem nisi quum flatulenta, & nisi quum ex calefacta ad ignem est; cum eadem vomitum non proritet nisi tepida; & cum denique ad alias euacuationes sit, vt plurimum inepta, quacunque tandem arte præparetur? Aquam acetosæ certissimum est ad nullam euacuationis viam esse admodum procliuem; dicendum proinde est per illam copiose potam nõ posse vllam ægroto insignem refrigerationem contingere; nisi corporis repletione insigniter adaucta; a qua noxa longe abest frigida. Item frigida celerioris multo transitus est, quàm aqua acetosæ; propter vim adstringendi, quæ in aqua acetosæ aliqua, in frigida nulla est. præstare item frigidam

multis

multis partibus aquæ acetosæ in refrigerando exploratius est, quàm longiori indigeat probatione. De secunda quæstione sic sentio; saccaro frigidam reddi visceribus amiciorem, & gratiorem; item saccaro iuuari frigidæ transitum, & distributionem per totum corpus; cumque ventriculus sit, qui primum frigidæ impetum sustinet; quæ particula vt neruosior, ita exanguior, & imbecillior alijs est; non dubium, quin saccaro frigiditatis acuties & corrigatur; & remittatur. pene fueram oblitus decernere de sero caprillo, num illud frigidæ substitui, & subrogari possit. Mea sententia hæc est; serum non distribuitur per totum corporis habitum, vt frigida; sed plerunque ad alui, raro ad vrinæ vias tendit; maioresque venas non prætergreditur. Item vrgente magnopere febris calore non eandem serum quàm frigida refrigerando operam præstat. Tertio serum si retineatur in corpore, corruptelam & acorem citissime contrahit; frigida autem minime. igitur si materia febrem faciens ad cutim vergat per sudorem; aut illuc inclinatura aliquando videatur; si obstructiones magnæ sint adeo; vt seri fluorem impedire posse videantur; si item ex febre æstuatio, & ardor modum omnem excedat; abstinendum omnino à sero. Præterea serum si exhibeatur ad libræ vel duarum heminarum quantitatem vti mos est; periculum est vt bilescat in corpore insigniter calido, quia est aqueæ naturæ. quod si ad satietatem vsque exhibeatur, vt frigida; periculum est vt corpus nimium laxet; laxandoque vires exoluat; neque enim abstersio, & laxatio ea est in frigida, quæ in sero. cauendum igitur cum corpus insigniter æstuat, ne serum pauca quantitate detur; itemque ne propinetur vsque ad satietatem cum vires non sunt valde firmę; & quum concoctio arcta

indiget retentione. Hippoc. lib. 2. epid. sect. 6. versus finem octo seri cotylas bibendas dat ad mouẽdam aluum. Valesius in commen. dat singulis diebus duas cotylas, id est 18. vncias pro syrupis Matthiolus commen. in Dioscoridem non excedit libram ad proritandum ventrem veteres vix vtebantur sero nisi ad lubricandum ventrem. & ad leniendum acria omnia, v.g. vlcera; medicamenta cathartica; disenterias; acres fluxiones omnes, &c.

De pharmacis exiccantibus in febre maligna. Cap. IIII.



XICCANTIA pharmaca non vnius sunt generis; Gal. lib. 5. de simpl. med. facult. capite 5. scribit exiccare, seu quod idem est humorẽ superfluum euacuare. Primum frigida duobus modis, nempe repellendo; & cum calore multam simul humiditatem educendo. Secundo calida dum contentum in calescentibus corporibus humorem in vapores dissoluunt. Tertio sicca qualia sunt diaphoretica, hoc est per halitum digerentia; hæcque duplici ratione; aut humores ebibentia, cum poris quibusdam insunt; aut totam alterantia partem. idem Gal. li. 7. de methodo medendi cap. 9. sunt inquit, ipsius humidę intemperantiæ cum sola consistit remedia, cibi, qui citra valentem calefactionem, refrigerationem ve siccent; præterea consuetę potionis parcitas; eius autem, quæ cum caliditate coniuncta est, adstringentium & ciborum, & potionum vsus; sint autem & hi austeri sine calefactione: at eius quæ cum frigiditate est cõ-

iuncta, optima præsidia sunt acria omnia; quibus admisceri debebunt quæ acerba, sed citra manifestum frigus sint. hactenus Gal. idem auctor lib. 2. de temperam. capite 3. scribit, quod siccum est, durum prorsus esse, idque tactu dignosci. ex quibus colligitur exiccandi vim habere hæc omnia; actu calida; frigida; diaphoretica; acria; adstringentia; austera; abstinentiam à potu; & dura, quæ sicca sunt; num acerba per se exiccent, non explicauit Gal. tametsi scripsit illa acribus esse immiscenda cum est opus exiccatione; nũ item acida exiccandi vim habeant, nullibi, quod meminerim; exposuit; cum tamen vulgus Medicorum acidis omnibus exiccandi potestatem tribuat; num item diaphoretica eadem sint, quæ per se sicca; non fuit explicatum; cum tamen res egeat explicatione; quia diaphoretica omnia sunt necessario calida saltẽ virtute, vt enim citra calorem possent per halitum digerere? at quæ sunt per se sicca, non habent caliditatem vel actualem, vel virtualem necessario adiunctam; ex his omnibus à Galeno recensitis quædam potentem, quædam valde imbecillam exiccandi vim habent; potenter exiccant calida; frigida, acria; & illa denique omnia, quorum exiccandi vis à calore est, vel frigore. impotenter exiccant quæ sunt per se sicca; quoniam vt notat Gal. lib. 7. de methodo medendi cap. 5. siccitas est qualitas admodum imbecilla post humiditatem; materialisque, & parum efficax, si calori & frigori comparetur; hinc tollitur contradictio quædam Gal. nam is lib. 7. methodi cap. 5. scribit esse facilem sublatu à corpore vel calidam, vel frigidam intemperiem, quia maxime actiuis qualitatibus corriguntur; humidam autem, vel siccam difficilem. cap. autem 9. eiusdem lib. humida inquit intemperies, siue

sola consistat, siue cum calore, frigoreve coniuncta sit, omnium facillime curatur. tollitur inquam hæc contradictio, quia humida intemperies egre vincitur per ea, quæ per se exiccant. vincitur autem facile per ea quæ per accidens exiccant, qualia sunt, calida, & frigida. Ego non dubito Galenum cumulatissime docuisse in ijs, quæ adduxi quidquid ad exiccādi rationem pertinet; quoniam tamē succincta is, & generali methodo est vsus; Iubet quæcunque Galenus de ijs quæ vim habēt exiccandi strictim, & breui oratione docuit; vberius & fusius exponere; qua doctrina explicata intelligetur facilius ecquæ illa sint; quibus in febre maligna ad exiccandum vti oportet. Exiccāt primum illa omnia, quæ humiditatis excrementitię generationem impediunt. Contraria nempe causis ijs a quibus humiditatis prouentus fit; corporis particula redditur humidior vel per susceptionem, vel per congestionē. vtriusque causæ multæ sunt; v. g. congestionis causa est, vel partis imbecillitas, quæ nutrimentum conficere non potest, vel meatuum obturatio, quæ prohibet ne pro acta nutritione excrementa reijciantur; vel qualitas aut copia excedens nutrimenti quod ingeritur; quia quidquid ad coctionem est rebelle, facit vt aliquid semper relinquatur nō concoctum; qđ aliorū additione paulatim crescit; vel infirmitas potentiæ expultricis; vel forte ēt superfluum robur facultatis retentricis; de susceptionis causis multa scripsimus in arte Medica, quæ nunc exscribere minime oportet. exiccant secundo quæcumque per se vacuant vt medicamenta purgantia; hæmorragię omnes tam spontinæ, quàm medicæ; vrinæ largiores; sudor profusior; semen largius in Venere; & similia. Tertio exiccant quæcunque per accidens euacuant, vt inædia; victus tenuior;

vigi-

vigiliæ; labores immodici, & animi affectus quidam. Quarto exiccant calida omnia resolutis, & in vaporem versis excrementosis humiditatibus; talia sunt acria; salsa; nitrosa; amara; & reliqua immodice calida vel actu, vel virtute. Quinto exiccant frigida duobus modis per compressionem, quia ab his quæ comprimendi vim habent qualia sunt adstringentia pleraque: exprimuntur in subiectas partes humores; quemadmodum spirante borea, compresso cerebro, expressisque qui in eo continentur humoribus, destillationes pectus tētant &c. dixi, (pleraque) quia vt Gal. notat lib. 1. simpl. cap. 35. non desunt adstringentia quæ insigniter calefaciant, ut chalcitis, calcanthos, & mysi; ex adstringentibus frigidis sunt austera, acerba, & acida. & per expulsionem caloris; quia calor dum expellitur à frigore multam simul humiditatem sibi pabulum educit. Sexto exiccant dura sicca; hoc est quę sunt per se sicca, caloreque vel frigore non exuperant qualia sunt terra lemnia; bolus armena; corallia; santali; cornu cerui; rasura eboris; os è corde cerui; margaritæ; & lapilli aliquot pretiosi camphora; radix tormentillæ; semina acetosæ, & id genus alia: ab his inquit Gal. exiccationem proficisci altero è duobus modis; vel quia spongiarum instar humores ebibunt, cum poris quibusdam insunt; vel quia per se exiccando alterant. His positis ad totius quæstionis explicationem venio. Certum est exiccantia primi generis esse accommodatissima ad malignā febrem; exiccantia secundi generis tū solum conueniunt; cum signa adsunt concoctionis; missione sanguinis excepta; exceptisque clysteribus; & pharmacis, quæ ventrem tantum leniunt; hæc enim præsidia Medicus exercere prudenter potest; antequam signa adsint vlla perfectæ

conco-

concoctionis. ex exiccantibus tertij generis illa tantum ad malignam febrem accommodata sunt, quæ corpus neque insigniter calefaciunt, neq; insigniter debilitant; neque humores nimium miscent, conturbantque: conueniunt igitur victus tenuior; & vigiliæ moderatæ; non conueniunt labores immodici; inædia; & vigiliæ immoderatæ. Animi affectus vt mœror; mœstitia; angor; anxietas; pauor; timor, & similia ob aliam causam non conueniunt; quia scilicet non humores excrementitios; sed radicalem solidarum partium humiditatem exiccant. De exiccantibus quarti generis magna est inter doctos viros controuersia; illa enim non conuenire sequentibus argumentis videtur posse demonstrari; humores putres magis nocent calore, quàm humiditate; at exiccantia calida non solum exiccant, sed etiam calefaciunt; non ergo conuenire possunt in maligna febre; vtpote quæ plus noceant, quàm iuuent. deinde Gal. lib. 7. de methodo medendi cap. 9. scripsit disertis verbis humidæ intemperantiæ ventriculi quæ cum caliditate coniuncta est, remedium esse vsum adstringentium ciborum, qui sint austeri sine calefactione. Altera ex parte idem Gal. lib. de theriaca ad Pisonem cap. 16. & plerisque alijs in locis ægrotis in pestilenti constitutione languentibus theriacā pro remedio maximo concedit; subditque theriacam tanquā ignem quendam purificantem præseruare homines à pestilentia; & sanare illos qui peste iam laborant tum acris inspirati malignitatem commutando; tum corporis temperaturam non sinendo amplius corrumpi. eandem sententiam habent Aetius lib. 13. cap. 97. & Paulus lib. 2. capite 36. & lib. 7. cap. 11. at constat theriacam calidi esse temperamenti. Deinde plerique Medici ex recentiori-

bus

bus ijque nobilissimi maligna febre laborantibus exhibent confectionem de hyacinto; quam præter alia componunt myrrha; & dictamnus albus, quæ haud dubie calido sunt temperamento. Tertio Medici omnes ad exiccandas malignas febres citrij mali seminibus vtuntur, quæ siccandi vim obtinent; ac præterea amara sunt, & ordine secundo calefaciunt, vt scribit Gal. lib. 7. de simplic. med. facult. in voce Melea. Scordeum item cordialibus bolis, qui ad malignæ febris expugnationem præscribuntur, admiscent Medici omnes; at scordeum naturæ est insigniter calidæ. Ego de controuersia præsenti ita statuo; humidam & calidam intemperiem respuere exiccantia, quæ calefaciunt; cum non desit magna illorũ medicamentorum copia, quæ non solum exiccant, sed ẽt refrigerant, vt mox dicemus; & cum diserta oratione sic Gal. iusserit cap. illo 9. lib. 7. de metho. meden. quem locum diligẽtius explicabimus mox; quod si qui reperiuntur Medici qui aut theriacam, aut Mithridatum, aut scordeum, aut myrrham, aut dictamnum album, aut lignum aloes, aut semina citri, aut alia id genus ægrotis maligne febricitantibus propinant; non id eo consilio faciunt præcipue; vt exiccent; (quanquam verissimum est exiccantia calida citius, & potentius exiccare, quàm exiccantia frigida;) quæ enim prudentia esset exiccationi studere; & de refrigeratione, quę in febribus est magis necessaria; non solum sollicitudinem non habere; sed contra de ea impedienda, & prohibenda cogitare? sed ratio tota illorum consilij & instituti est, vt vires conseruent; sicq; cor à malignitatis noxa pseruent; hinc Gal. li. de theriaca ad Pisonem cap. 16. theriaca (inquit) optimam quandam temperaturam corporibus procurat, & in eis bonam valetu-

dinem conseruat; absumit enim humores superfluos; calefacit membra refrigerata, corroborat naturalem virtutem, vt debitas actiones exercere queat; nã quando fortis natura fuerit; tunc & venter expedite cibos concoquit; & venæ sanguinem facile producunt; & iecur prompte bilem secernit; atque ita defœcatum sanguinem cor suscipiens, ipsum deinceps vniuerso corpori iam nutriendo idoneum submittit; excrementa quoque moderate foras eadem expellit; & quæ corpori superflua sunt, membrorum omnium respiratione salubriter excernit. hactenus Gal. cum vero hæ duæ indicationes refrigerandi scilicet; & corroborandi virtutem per medicamenta calida contrariæ sint inter se; vtrius sit maior habenda ratio; & vtrum magis vrgeat calor nimius, an prostratio virtutis in sequentibus differetur; quod ad rem præsentem attinet; satis sit dixisse calidam & humidam intemperiẽ per se, & quatenus talem non exposcere exiccantia, quæ insigniter calefaciant; id tamen non impedit quominus medicamentis frigidis, quæ vim habent exiccandi, & largiori copia sumuntur; portiuncula aliqua exiccantiũ calidorum admisceatur; quo citius per viscera & per totum corpus illa distribuantur; & quo potentius agant: est enim calor veluti calcar &c. ita decoctis ex oxalide, ex radice graminis, ex cichoreo, ex rosis, ex endiuia, ex soncho, & id genus alijs paucula aliquot citri semina incoquere Medici iubent; ita in confectione de hyacinto præter multa quæ non solum exiccant; sed etiam refrigerant; additur portio minima eorum, quæ exiccant, & calefaciũt; & ob eandem causam bolis cordialibus, qui ex refrigerantibus componuntur; exigua quædam portio scordei immiscetur in malignis febribus. Exiccantia quinti generis vel

Galeni

Galeni testimonio optima sunt; ratioque idem suadet; quia corpus ægroti maligne febricitantis non solum exiccari, sed etiam refrigerari expostulat: sunt autem exiccantia quinti generis vel austera; vel acerba; vel acida; quæ omnia frigido constare temperamento constat ex Gal. libro 4. de simpl. med. facult. cap. 7. 8. 12. 13. 14. & 15. De exiccantibus sexti generis eadem ratio est; exiccant .n. citra calefactionem. obijciet vero aliquis; valere quidem vtraque ad exiccandum, & ad refrigerandum; videri tamen inepta in febribus malignis; quia adstringunt, adstringendoque augent obstructiones; quæ sunt causa, & fons totius mali; adstringere austera, acerba, & acida constat ex Galeno lib. 4. simpl. cap. 7. adstringere exiccantia illa, quæ diximus ad sextum genus pertinere, præsertim terram lemniam, bolum arm. & corallia lippis, atque tonsoribus notissimum videtur: cum illis quotidie ad sanandam dysenteriam, ad sistendum sanguinem; & conglutinanda vulnera Medicorum vulgus vtatur, & cum terra lemnia, & bolus armena linguæ apposita hæreant. Respondeo, nos ita probare adstringentium vsum; vt tamen obstructiones minime augeant; neq; verisimile est aliter Galenum docere voluisse; cum in docenda putridarum febrium curatione in sublationem obstructionum defixum semper animum habeat. Adstringentia igitur, eatenus vsurpanda sunt in maligna febre; quatenus augere obstructiones non possunt; quod præstari potest multis modis; primum si vtamur ijs, quæ non solum sunt adstringentia; sed etiam participia sunt aliqualis acrimoniæ, aut amaritudinis ratione diuersarum partium, ex quibus constãt; qualia sunt acetum; rosa; succus mali citrij; & id genus alia. Secundo, si illis vel saccarum, vel quidpiam

aliud admiſceamus, cuius ratione aperiendi, & incidendi vim acquirunt; ita Medici ſyrupum acetoſum habēt pro nobiliſſimo medicamento ad exiccandum in febribus; qui tamen puro aceto nunquam ſinerent febricitantem vti; illo per os aſſumpto. Tertio ſi talia accipiantur in principio primi gradus; quæ enim parum adſtringunt & viſcera corroborant; vt ſæpiſſime Gal. monet; & aperientium, atque incidentium vim magnopere augent, vt ſcribitur à Galeno, quæ vero inſigniter adſtringunt, augēt magnopere obſtructiones, vt ſcribitur lib. 10. methodi cap. 2. Quarto ſi prius incoquantur; mirum enim dictu eſt, quantum coctio auſteritatem, acerbitatem, & aciditatem remittant; hinc pleraque poma ſuauiſſime comedimus cocta; quæ cruda ob nimiam auſteritatem, aut acerbitatem vix auderemus primoribus labijs guſtare. neque vero ſufficit hæc tantum notaſſe ad explicationē eorum quæ Gal. docuit cap. illo 9. lib. 7. de methodo medendi; ſed obſeruandum præterea eſt; delectum eſſe habendum adſtringentium medicamentorum in maligna febre, cum exiccationi ſtudere eſt animus. Auſtera enim vt mala cydonia, myrta &c. quia ſunt craſſarum partium non admittuntur in curatione humidæ intemperiei, quæ fit in anguſtis vaſibus; neque in curatione febris vllius; ſed ſolum in curatione ventriculi cum is humidior eſt proindeque ad propoſitam quæſtionem non faciunt: vtriuſque dicti ratio eſt, quia craſſities obſtructiones ſemper auget; & in maioribus vaſis cuiuſmodi eſt vētriculus, nullum eſt obſtructionis periculum: idem iudicium faciendum eſt de acerbis; ob eandem cauſam. Acida ſola ex adſtringentibus, quia ſunt tenuium partium ad id qđ cupimus ſunt accommodatiſſima; proprium etenim eſt

tenu-

tenuium partium medicamenti incidere,& attenuare,nisi frigoris excessu peccent,vt in superioribus fuit demonstratum. austera esse crassarum partium patet ex libro 4. simpl.cap. 7.acerba habere substantiam crassam patet ex lib. 1.simpl.cap.37.vbi scribitur habere illa virtutem exasperantem; asperitas enim omnis est ab inæqualitate terrenarum partium ; & à siccitate ; cum humidi proprium sit mollia reddere corpora,& æquabilia; & ex cap.illo 7. lib.4. eiusdem operis ; in quo hæc leguntur . velox siquidem acidorum saporum transitus in sentientibus partibus fieri conspicitur; acerborum autem tardus ; tum acida quidem in alto magis agere apparent ; in superficie autem acerba . Acida esse tenuium partium constat ex hoc ipso cap. & ex plerisque alijs Gal. locis ; ac præterea ex ipso vsu, & experientia aceto fregisse; comminuisse;& emollijsse lapidosos montes Annibalem,testis est T. Liuius ; succus limonum emollit margaritas ; radix graminis,& oxalidis emolliunt lapidem in renibus genitum;& alia sexcenta . Ad aliam obiectionis partem ita respondet Victor Trincauellius in tractatu de febre pestilenti . quod bolus armena vim aliquam insignem astrictoriam habeat; à nullo vnquam dictum inuenitur; quod hæreat linguæ,hoc argumentum est lentoris non astrictionis: alumen enim valide astringit,chalcitis,chalcantum,gallæ, balaustia , & alia innumera, quæ tamen non linguæ hærent; & multa hærent,quæ non astringunt : vt quo aucupamur,viscus,& pituita lenta: quæ vero lentoris,vt multæ terræ, quarum nono libro de simpl.med. facult. mentio facta est,sunt participes;& linguæ hærent;quod etiam dysenterias mirifice sanet; non est astrictionis,sed exiccationis argumentum ; vt vnusquisque ex Gal. loco nuper

citato percipere poteſt; qui omnia, quæ ab armena bolo efficiuntur, in vim exiccandi, non aſtringendi refert: alioquin enim non video, cur magis auxilium, quod pręſtat dyſentericis, ſuadere nobis poſſit, quòd aſtringat; quàm cum aſthma curet; & omnem fere ſpirandi difficultatem; quòd careat aſtrictione: verum vtrunque per deſiccationem efficit; ſicut & quòd vlcera curet; & phtiſicis ſalutare ſit rimedium; & reliqua quæ ibi refert Gal. hæc Trincauell. qui vult illa, quæ de bolo arm. ſcripſit, debere etiam intelligi de terra lemnia; corallia non ſolum non aſtringunt, ſed nec lentorem vllum habent. Trincauellij doctrinam valde illuſtrat cap. 36. libri primi de ſimplicium medic. facult. in quo contra Herodotum, ac Dioſcoridem demonſtratur; non quæcunque profluuijs, aut dyſenterijs medentur, aſtringentia eſſe; non enim adipē caprinum, non farinam triticeā & amylum, aſtringentia eſſe; non item innumera alia, quæ vim habent tum emplaſticam, hoc eſt illinendi, tum mitigatoriam atq; acrimonias hebetandi; eaque ratione ijs, qui acria, mordaciaque per aluum excernunt, auxiliantur; qualia ſunt oleum; cera; adeps ſuillus; adeps gallinaceus, adeps anſerinus; & chondri, tragiique ſuccus; quanquam enim Galenus hoc loco non meminerit exiccantium; infringit tamen, & eneruat optime illorum argumētum, qui inde probant bolum armenam, terram lemniam, & corallia inſigniter aſtringere; quia dyſenterijs & vlceribus medeantur.

De

De illis medicamentis, quæ cor præseruant à putredinis malignitate; & primum quænam illa sint. Cap. V.



VAESTIONES aliquot præsenti capite sunt explicandæ: Prima est, quæ nam sint illa, quæ cor a corruptela, & putredine dicuntur præseruare, seu assumpta, seu foris apposita. Secunda, quo vnumquodque ex illis sit temperamento. Tertia, quomodo resistant malignitati. Quarta, num conueniant omnia indifferenter in febre maligna. De prima quæstione sic statuo; cardiaca credita medicamenta cõmode omnia in sex classes distribui posse. Ad primam classem pertinent lapis bezar, bolus armena; terra lemnia; terra Melitensis, corallia; rasura eboris; cornu cerui; os è corde cerui; sandali; camphora; margaritæ; sapphirus; smaragdus; topatius; lapis turchetius; lapis porphyrites; aurum; argentũ; cornu vnicornis; ambra; moscus; carabe; & similia. Ad secundam pertinent classem oxalis; tormentilla; acetositas citri; syrupus acetosus; syrupus rosatus simplex; rosæ; violæ; semina portulacæ; pimpinella; pentaphillon; sericum crudum; cyanus maior; cyanus minor; bistorta; serum caprillum; crocum; flores albi nimpheę; & id genus alia. Ad tertiam classem reducuntur borago; buglossum; zuccarum boraginatum; zuccarum buglossatum; syrupus de succo boraginis; syrupus de succo buglossi; melissa; verbenacca; grana tinctoris; calendula; radix myrrhidis; scorzonera; behen album; behen rubrum; se-

mina

mina citri ; Virg. libro 2. Georgic. ſic de mali citrei viribus.

Media fert triſtes ſuccos tardumq́ ſaporem.
Fœlicis mali, quo non præſtantius vllum.
Pocula ſi quando ſæuæ infecere nouercæ.
Auxilium dabit; & membris aget atra veneni.

Ruta capraria ; ſcabioſa ; nuces inglandes ; valeriana ; roſmarinus; conſerua anthos; ocymum. Ad quartam claſſem pertinent ſcordeum; menta; chamedris; carduus benedictus ; ſemina thlaſpeos ; ſemina naſturtij ; radix angelicæ; radix ariſtolochiæ rotundæ; radix gentianę ; theriacaria; ruta; lignum aloes. caryophilli ; ſaluia; hyſſopus; lauendula; baccæ lauri; myrrha ; aloe ; dictamnus albus ; zedoaria; zingiber ; cinnamomum ; grana iuniperi ; nux moſchata; & id genus alia ſexcenta ; Ad quintam claſſem reducuntur theriaca Andromachi ; theriaca diateſſaron; theriaca Hippocratis; Mithridatum; confectio ſcordei a Fracaſtoreo deſcripta; antidotus Ruffi, quem vulgo nominant pilulas de tribus contra peſtem ; electuarium de ſanguinibus ; oleum de ſcorpionibus Matthioli ; oleum de vitriolo; de corticibus nucum; puluis bezoarticus Meſues; electuarium de ouo; diatragacanthum frigidum; diatragacanthũ calidum; diamargariton frigidum; diambra; diamoſchum dulce ; diamoſchum amarum ; electuarium de gemmis ; electuarium Papæ ; diaſcordium ; confectio de hyacinto ; aqua ex ſanguine hominis ; aqua ex pueri ſtercore ; & compoſitiones aliæ pene innumeræ. Ad ſextam claſſem refero ſacculos portentoſos ; factos ex arſenico ; ex riſagallo; ex ſublimato ; & ex alijs id genus venenis ; quos plerique vt ſe à peſtilentia, vel malignitate tueantur, ſupra cordis regionem geſtare conſueuerunt; ex

tot

tot cardiacis medicamentis aliqua sunt; de quibus quæri solet num syncera apud nos nunc temporis inueniantur; vel num extent reuera alicubi; Primi generis sunt lapis bezar; bolus armena; & terra lemnia; Secundi generis est cornu vnicornis, seu monocerontis. aliqua vero sunt; de quibus maxima inter medicos controuersia est; num cordi quidquam proficiant; plerisque existimantibus illa per errorem cardiaca credita fuisse; qualia præcipue sunt aurum; argentum; margaritæ; lapides pretiosi; & cardiaca omnia sexti generis; de alijs vero à me recensitis medicamentis vix vllus dubitationem habet inter medicos; cunctis constanter credentibus illa vniuersa vel multum, vel certe aliquantum cordi prodesse posse si non in omni at saltem in aliqua illius ægritudine. Vterque scrupulus eximendus est è lectoris animo, antequam vlterius progrediamur. Magnã lapidis bezar appellati contra venena omnia, & contra pestilentem febrem virtutem esse locuples testis est tum antiquitas tota; tum ex recentioribus maxime D. Garzias lib. 1. c. 45. & Monardes parte prima, lib. 2. cap. 1. antiquorum testimonia recenset inter alios Santes Arduynus lib. 1. de venenis, fol. 20. & fol. 97. & Monardes loco citato. suaserim tamen medicos omnes nullam in eo spem ponere; quoniam certissimum est verum lapidem bezar aut nunquam aut rarissime ad nos deferri; cum plurimi fide dignissimi affirment; egoque idem iureiurando possum affirmare nullam ex eo ęgrotis exhibito vtilitatem vnquã percepisse; quantum vero piaculum sit rem incertam febricitanti præscribere pro re certa & explorata quisq; per se iudicare potest; huius lapidis cum syncerus est, & minime suppositìtius effecta conspicua sunt, est enim ad su-

dorem proliciendum efficacissimus paroxysmi tempore exhibitus vt scribit Amatus Lusitanus comm. in 2. libr. Dioscor. si decem granorum pondere assumatur; vt ait Garz. aut etiam pauciorum (Amatus enim Lusit. tribus granis contentus est) itemque illius puluis ab eo potus, qui venenum assumpserit; venenum educit vel per vomitum, vel per secessum; atque etiam per sudorem, vt idem auctor; & Monardes scribunt si igitur contigerit vt lapidem bezar habeamus; qui ab aliquo ęgroto sumptus se per hæc signa conspicuum fecerit; tuto illo nostro consilio ægrotus noster vti potest, secus; abstinendum ab eo est. bolum armenam officinarum certum est non esse lapidem armenum, quem tantopere Gal. celebrauit, lib. 9. simplicium qnod patet ex notis illi à Galeno attributis in eodem loco; scribit enim negligentius, intuenti videri lapidem; potius quam terram; teri facile sicut calcem, & sicut lapidem coctum; afferri ex Armenia; itemque colore esse pallido; at vulgaris bolus neque lapidis, neque terræ imaginem habet, sed exiccati luti; propter vnctuositatem difficile teritur; faciliusque multo liquescit quàm teritur; non ex Armenia affertur à Mercatoribus; coloreq; est non pallido, sed rubro vergente ad croceum. De terra lemnia maxima quæstio est, num ea in officinis reperiatur; Braxauolus in examine simplicium, & Matthiolus commentarijs suis in Dioscoridem contendunt veteres medicos terrę lemnię appellatione nihil aliud intellexisse nisi vulgatam in officinis armenam bolum: Brasauolæ argumenta hæc sunt. Plinius lib. 35. cap. 6. scribit rubricæ lemniæ palmam dari, quia sit minio proxima; & Cornel. Celsus lib. 4. cap. 15. terram lemniam vocat minij glebam ex interpretatione Hermolai Barbari corolla-

rijs

rijs in Dioſcoridem; at minij antiquorum color, quo ſcilic et pictores ſanguinem fingebant; hoc eſt color ruber floridus reperitur in noſtro vulgari bolo non in vulgari terra lemnia ergo &c. Deinde Gal. lib. 9. ſimplic. vbi de terra ſamia orationem habet; ſcribit terram lemniam eſſe tenacem, & paulum viſcoſam; at conſtat eſſe talem bolum armenam officinarum; non vulgarem terram lemniam. Tertio Dioſcorides terram lemniam ſanguine hœdino, vel caprino conformari credidit; quia ſcilicet ruborem talem haberet, qualem faceret ſanguis terræ miſtus; at color eiuſmodi reperitur in vulgari bolo orientali; non reperitur in vulgari terra lemnia. Quarto, Gal. loco proxime citato ſcribit terram lemniam habere colorem combuſto ſimilem; quod eſt valde probabile, quia veteres poetæ finxerunt Vulcanum è cœlo in illam inſulam decidiſſe vt videre eſt apud Lucianum in dialogo de ſacrificijs; apud Homerũ lib. 1. iliados; & hymno in Apollinem; apud Ciceronem lib. 3. de nat. deorum apud Myrtilum lib. 1. rerum leſbicarũ, apud Gyraldum Cynthium ſyntagmate 13. de dijs gentium in capite Vulcanus; & apud Natalem Comitem, lib. 2. mæthologiæ cap. 6. at colorem combuſto ſimilem ideſt flammeum, & igneum habet vulgaris bolus armena, non habet vulgaris terra lemnia. Quinto, veteres vtebantur bolo armena ad ſplendorem indendum picturis; at ſplendet bolus armena officinarum, non ſplendet vulgaris terra lemnia. Sexto, Gal. lib. citato ſcribit terram lemniam eſſe lutum quoddam pingue; vſque eo deſiccatum, dum mollis ceræ conſiſtẽtia accipiat; ac poſtea rurſus in umbra reſiccatum, donec omnem plane humiditatem amittat. at bolus armena ſi in aqua maceretur; ablata deinde aqua, quũ deſiccatur

in mollitiem ceræ deuenit; quod non contingit terræ lēniæ vulgari. In contraria sententia est Georgius Agricola incomparabilis iudicij vir in suo Bermanno; vbi scribit & bolum armenam appellatam non esse terram lemniam antiquorum; & eam, quæ nunc vulgo lemnia terra dicitur, esse illam quam antiqui hoc eodem nomine donarunt, illud ita probat; terra lemnia non inficit tangentis manus vt scribit Galen. lib. 9. de simplic. medic. facult. at bolus armena inficit tangentis manus; non ergo bolus armena est terra lemnia; respondet Brasauolus vulgarem bolum armenam esse fortasse rubricam lemniam antiquorum; illam scilicet, qua vt Gal. scribit fabri vtebantur: id vero mihi videtur admodum simile veri; præsertim ꝙ sciam uilius multo vendi à mercatoribus bolum armenam, quàm terram sigillatam; hoc postremum; ita videtur probari posse; terra sigillata vulgaris affertur haud dubie ex insula lemno; in lemno effoditur, effossaque turcicos caracteres ibidem recipit, quasi sigillum quoddam antiqui illius Dianæ sigilli æmulum; fiuntque hæc omnia magno & religiosissimo ceremoniarum apparatu, & semel in anno tantum; adsuntque illic regij ministri, seuerissime curantes vt ex tota massa confectæ glebæ ad Regem exportentur in vrbem Constantinopolim; his vero quisque sibi inducere in animum debet vulgarem terram lemniam esse genuinam, & minime suppositiam; donec argumenta adducantur; quibus contrarium probetur solide, expresse, & non sophistice; quod Brasauolus tenacitatem cum aliqua viscositate; & mollitiem si liquetur, concedit bolo armenæ officinarum; negat vulgari terræ sigillatæ est falsum manifeste; at dicet aliquis pro Brasauolo; tenacior est, & mollior redditur liquata bolus ar-

mena,

mena, quam terra dicta lemnia. quid tum postea? à quo scriptum est ex antiquis tenaciorem esse, viscidiorem, & molliorem terram lemniam, quàm rubricam lemniam? ex colore & splendore sumptum argumentum Georgius Agricola putat nullius momenti esse; quod effossio, vel profundior, vel minus profunda; & situs loci ad hanc, vel illam cœli regionem vergentior sola possint mutati coloris causa esse; est enim color vnum de illis accidentibus, quæ in plerisque sunt separabilia: hoc ego vere & cum iuramento possum affirmare terram illã ex qua fiũt alumina inconstantissime nunc hoc, nunc illo colore tinctam ex montibus effodi. Historia de Vnicorni est valde incerta; cum enim constet Monocerotes in duplici genere esse; quosdam vngulam solidam habentes; & quosdam habentes vngulam non sectam; in solipedis vnicornibus multæ species reperiuntur; quoniam aliqui asini, aliqui bouis, aliqui equi speciem ex illis præ se ferunt; vt multis adductis locis demonstrat Ioannes Aemilianus in historia de ruminantibus syntagmate 4. ex illis vero vnicornibus quæ habent vngulam diuisam quædam sunt bisulca; quædam multifida; bisulca sunt oryx de quo multa Herodotus, Arist. Aelianus, Oppianus, Columella, Plinius, & sacræ etiam literæ Deuter. 14. Vnicornis Alberti; & Vnicornia Ludouici Parthema in Mœchæ historia; Multifida vnicornia sunt illa de quibus meminit Paulus Venetus; & Aeneas Syluius in descriptione Asiæ cap. 10. cum inquam certum sit non vnum, sed varium esse Monocerosis genus; incertum est admodum cuiusnam ex tot vnicornibus cornu contra venena; & contra malignas, ac pestilentes febres vim habeat. Aelianus, & Scaliger mirificam hanc virtutem Vnicorni tribuunt solipe-

di, quod

di, quod equi ſpeciem refert; at Ludouicus Barthema biſulci Monocerotis cornui energiam hanc ſanè mirabilem tribuere videtur. Eneas autem Syluius, & Paulus Venetus cornui Monocerotis multifidi; quod ſpeciem quandam habet elephanti. Cornua vero Monocerotis in varijs Principum virorum theſauris ſeruata quàm ſunt inter ſe diuerſa? quam ſunt diſſimilia? His facile adducerer, vt crederem figmenta eſſe inania, & hominum otioſorum inuenta, quæcunque de cornu Monocerotis contra venena, contra peſtem, & contra malignitatem prædicantur; quæ fuit opinio Andreæ Marini, & Ioannis Aemiliani, niſi viri peritiſſimi, & mentiri minime ſoliti Nicolaus Monardes lib. 2. primæ partis de materia medica ex Indijs aduecta cap. 1. Andreas Baccius in 3. parte libelli ſui, qui eſt de Vnicorni, fol. 99. & Antonius Scæneberger apud Conradum Geſnerum in Iconibus quadruped. ferorum, ordinis primi, fol. 62. affirmarent de viſu, citiſſimam, & mirificam cornu cuiuſdam virtutem contra venena, & contra malignas febres; quod quiſque teſtatur Monocerotis, ſeu Vnicornis creditum fuiſſe. Mea ſententia eſt, eſſe quidem in rerum natura vnicorne aliquod animal; cuius cornui magna ad venena fuganda, & ad febres malignas expellendas vis inſideat; non tamen conſtare, quodnam illud ſit; proindeque cum ægroto remedia è cornu vnicornis proponuntur ab aliquo; qui illud ſe habere glorietur; id neque temere eſſe explodendum; neque etiam temere eſſe approbandum; experientia rerum omnium maxima magiſtra eſt; ac ſicut hominis eſt iniqui negare ægroto, quæ alius in eadem ægritudine ſibi ſaluberrimum expertus eſt; ita hominis eſt inconſtantis & valde leuis obuia quæuis, & à quocunque

propo-

proposita remedia statim, & nullo ante facto examine probare; verisimile est quod valet ad venena præsertim putrefacientia;ad humorum malignitatem idem quoque valere; at cui facillimum non est de veneno, & de veneni remedio in cane,aut bellua aliqua periculum facere? hęc de Cornu Monocerotis dicta sufficiant. quidnam vero censendum est de auro & argento; de margaritis, & de pretiosis lapidibus? quæstio vt apparet tres partes habet primam de auro & argento; secundam de margaritis;tertiam de gemmis; distinximus autem à gemmis margaritas; non quia margaritæ extra gemmarum censum sint; sed quia peculiari quadam ratione, & certiori quadam fide à plerisque cardiacæ creduntur. Aurum & argentum plerique viri doctissimi, inter quos est Brasauolus in examine simplicium; & Thomas Erastus parte 4. suarum disputationum cōtra Paracelsum contendunt mordicus, non modo non esse cardiaca, sed quod plus est; nihil agere in corpus humanum, quocunque modo sumantur; & nihil ab illo vicissim pati; quorum argumenta hæc sunt. Aurum nec ignis, nec vis alia naturalis perdere,ac transmutare valet; multo ergo minus alterabit illum noster calor; cum nostrum temperamentum longissime distet à metallorum omnium temperamento, at quæ in nos agunt; actuantur prius à nostro calore; aurum esse incoctibile; & à nostro calore insuperabile testatur Arist.sect. 1. problematum q.43. Secundo auro assumpto, deindeq; euacuato nihil decedit ponderis; ergo ne substantiam quidem decessisse credēdum est inter coquendum; quod si auri pars nulla transfusa est in liquorem; signum est nihil virium ab auro corpori nostro communicatum fuisse. Tertio aurum & argentum nihil sunt aliud quàm ar-

gentum viuum condensatum cui sulphur vel purius, vel minus purum, & vel actu, vel potentia admistum est; at argentum viuum & sulphur noxia sunt humanæ vitæ quã maxime. Quarto illi qui credunt auro & argento vim inesse cardiacam; prædicant maxime aurum potabile; eoque constanter affirmant vitam hominis reddi posse valde longeuam; quia cordi robur augeat; at aurum non potest in liquorem verti, & potabile reddi, nisi per aquas valde corrodentes; quibus acerrima quædam & ignea facultas inest; quæ qualitas vitæ nostræ aduersa est maxime; vt quæ illam destruit, & labefactat. In contraria sententia sunt Dioscorides, qui lib. 6. cap. 7. contra ebibitũ aconitum probat vinum, in quo aurum, ferrum, argentumve candens restinguatur, potum. Plinius libro 33. cap. 4. qui scribit aurum infantibus applicari, vulneratisque, vt minus noceant, quæ inferuntur maleficia. Auicenna in libro de medicinis cordialib. tract. 2. cap. 3. in litera A. Mesues in descriptione electuarij de gemmis. Iacobus Syluius libro 1. de methodo componendi medicamenta cap. de metallis. Scaliger exercit. 272. de subtilitate. Gardanus lib. 12. de subtilitate, fol. 466. & plerisq; alijs in locis; Ioannes Costæus scholijs in Mesuem; Hieronymus Rubeus libro de destillatione sect. 11. cap. 20. & innumeri alij; qui argentum & aurum diuersa ratione præparant ad cor roborandum; vel enim in puluerẽ subtilissimum, vel in folia, vel in liquorem potabilem redigũt, nec desunt qui auri & argenti frusta solida accipiũt; illaque vel carnibus incoquunt; quo ius efficiant cardiacum, vel candentia, aut in aqua, aut in iure, aut in vino, aut in liquore alio extinguunt; sic credentes cardiacam facultatem extrahere ab illis; ac quanquam si in contra-

rias ſententias abeunt; potabile enim aurum probatur pleriſque; non omnibus; in eo tamen cuncti conueniunt, vt argentum & aurum ad cor roborandum accipiantur naturalia; non adulterata; non chimiſtarum capitella experta; non denique arte facta: quibus venenoſa vis admiſta eſt; hæc ſententia videtur non carere penitus probabilitate. nam aurum eſt mixtum quoddam valde ſyncerum, cum neque rubiginem, neque recrementa vlla generet; poteſt igitur perficere, ac purgare humidum vitale, ſuam illi ſynceritatem communicando. Secundo, robur humanæ vitæ & præcipue cordis conſiſtit maxime in ſpiritibus vitalibus; ſicut animalis facultatis robur in animalibus ſpiritibus præcipue poſitum eſt; ſpiritus omnes ſplendidi ſunt & collucentes; auri igitur & argenti ſplendore reficiuntur ſpiritus; ſicut contra nigrore atræ bilis ijdem obſcurantur, & debilitantur; adeo vt Gal. manifeſtis verbis pronunciauerit; ob hanc cauſam pauidos eſſe, & timidos melancholicos; argumento inde ſumpto, quod omnibus à natura inſitum ſit in tenebris, quæ atræ ſunt pauere, & extimeſcere. Tertio aurum non putreſcit, neque corrumpitur. hæcque cauſa eſt; cur non emittat ex ſe rubiginem; at quæ ſunt ſua natura imputria; & incorruptilia; poſſunt alia quoque à putredine præſeruare; cum natura ſit inditum omnibus corporibus naturalibus operari, & agere in alia ſecũdum qualitates, & proprietates quas habent. Quarto aurum & argentum ſunt corpora ſplendidiſſima; at ſplendor omnis, & fulgor à luce eſt. lux autem vel ab igne, vel à planetis & ſtellis; auri & argenti lux non poteſt eſſe ab igne, quoniam illa generantur in locis frigidiſſimis; igneique & actualis caloris penitus expertibus; eſt igitur à cœlo. humanæ vitæ pro-

prius calor: non igneus eſt,neque ab igne; ſed proportione reſpondet elemento ſtellarum, vt ſcribit Ariſt.lib.2. de generat.anim.cap.3. aurum ergo & argentum,quia cęleſtis caloris & lucis plurimum habent; maximam habēt cum calore noſtro affinitatem & familiaritatem. Quinto res quęlibet iiſdem cōſeruatur, quibus generatur; Sol & homo generant hominem, ait Ariſt.libro 2.de phyſico auditu; ergo idem Sol eſt aptus quoque hominem conſeruare; in auro plurimum eſt ſolaris virtutis; ob id enim finxerunt veteres Poetæ Solis thorum ex auro fuiſſe à Vulcano fabricatum; Soliſque lora & habenas fuiſſe itē aureas, vt antiquitatis teſtimonijs adductis probat Natalis de Comitibus libro 5.methologyę cap. 17.mea ſententia eſt neutrius ſententiæ argumenta certi aliquid concludere; quod adeo perſpicuum eſt, vt nulla egeat probatione;tutius tamen videtur ſecundam ſententiā ſequi,quàm primam;quandoquidem non temere aſpernanda eſt multorum Medicorum auctoritas; qui niſi experientia docti, nunquam auſi fuiſſent ægrotis aurum & argentum tanquam cardiaca medicamenta præſcribere; præſertim cum illi ipſi qui hæc remedia derident; vltro fateantur nihil ex illis mali ægrotis poſſe contingere; dum in eo toti ſunt, vt oſtendant aurum eſſe omnino impermutabile; & neque poſſe in calorem noſtrum agere quidquam,neque ab illo viciſſim pati: non me latet cenſuiſſe aliquos metalla omnia homini venena exiſtere; neque memoria excidit Braſauoli argumentum,qui aurum & argentum ideo reſpuebat, quia conſtent ſulphure & argento viuo; quæ ſunt naturæ noſtræ aduerſiſſima; ſed vtrunque parui faciendum eſt;quis neſcit ad obſtructiones tollendas mirificam vim limaturæ chalybis? quis Medicorum ab hoc

præ-

ſtantiſſimo remedio abhorret? at chalybs eſt impurius metallum quàm argentum & aurum; & æque ac iſta ſulphuri & argento viuo ſuæ generationis primordia accepta refert ſecundum illos, qui hæc duo metallorum omnium principia conſtituunt; quanquam hæc opinio iamdiu exploſa eſt,& antiquata; conſtatque illam neque Ariſtotelis,neque Georgij Agricolę viri diligentiſſimi doctrinæ congruere; excipio tamen aurum potabile, quod certiſſimum eſt eſſe naturæ noſtræ aduerſiſſimum, & inimiciſſimum; quia non potuit aurum in liquorem verti, niſi ope medicamentorum; quæ ſunt violentiſſima; & maxime ignea. quod de auro & argento ſtatuebam, idem videtur de margaritis quoque & de lapidibus pretioſis ſtatui poſſe; hæc ſcilicet non eſſe temere explodenda,neque delenda è cardiacorum cenſu contra tot antiquitatis teſtimonia; permittendumque Medicis, vt illa quando volunt,in ſuas compoſitiones recipiant; cum nulla in ijs noxa appareat,qua ægrotum lædāt,cum iuuare debuiſſent. quanquam vero aurum,argentum,margaritas,& lapides pretioſos è claſſe cardiacorum non excludimus; cenſemus t[a]men illorum vim in iuuando corde eſſe admodum obſcuram,& tenuem; contra enim ſi res ſe haberet; non fuiſſet de illis tantopere dubitatum, quia contra apertā, & manifeſtam veritatem quis audeat ſcribere? proindeque cum ſuppetat ampliſſima ſtirpium,atque aliarum rerum copia,quibus vti pro cardiacis, & pro certis antidotis licet; non multi detrimenti Medicinæ foret; ſi auri, argenti,margaritarum, & lapidum pretioſorum vſus omitteretur; illorumque loco certiora præſidia Medici quærerent; de quibus nulla inter doctos viros controuerſia exiſtit; per me tamen liceat vnicuique in ſuo ſenſu abunda-

re. De cardiacis sexti generis longa esset nobis disputatio suscipienda, nisi hunc laborem doctissimus Massarias nobis præripuisset in secundo libro de peste, fol. 51. & sequen. quisquis igitur quæstionis huiusce diligentissimum examen legere cupit; illum adeat; illiusque iudicio stet, quod errare vt plurimum nescit.

Quo temperamento sint cardiaca medicamenta, & præsertim theriaca. Cap. VI.

CERTVM est cardiaca, quæ enumerauimus suum & proprium habere singula temperamentum. quanquã.n. vniuerse dici possit cardiaca primi generis exiccando valere; cardiaca secundi generis refrigerare, exiccare, & nonnihil etiam adstringere; tertij generis cardiaca calefacere, sed non insigniter, vt calefaciunt cardiaca quarti generis; difficile tamen est generali doctrina ita complecti cardiaca aliqua vt ab ea nihil euarient; cardiaca quinti generis certum est eatenus inter se conuenire, quatenus omnia composita sunt; tametsi temperamento plurimum diffideant; cum calore aliqua, frigore alia excedant. disputatio vero de singulorum temperamentis est illa quidem facilis; & ab illis qui de stirpibus & plantis differuerunt; non inepte prout occasio vniuscuiusque postulabat, explicata; sua tamen prolixitate tędium parit; & subtilitatis, ingenijque non multum habet; ob id animus est ab illa abstinere, de vniusq; theriacæ temperamento differere; de quo viri docti magnis

gnis litibus dissentiunt inuicem & altercantur. Gal.lib.8. de methodo medendi cap.7. theriacæ tribuit vim calefaciendi,& siccandi,lib.14.methodi cap.12.in fine digerendi,& resoluendi: libro autem de theriaca ad Pisonem capite 17. scribitur theriacæ temperamentum adeò esse resoluens & digerens, vt pueris exhibita illorum corpora dissoluat. Auic.tract.2.de medicinis cordialib. cap.4.nõ solum adstruit calefaciendi vi præditam esse theriacam; sed præterea caloris gradũ apponit; cum ita scribit: postquam considerationem diligenter adhibuissem; computando existimaui caliditatem mithridati,& theriacæ; inuenique caliditatem theriacæ in fine secundi; & mithridati caliditatem infra aliquantulum; hactenus Auic. qui theriacam accipit non fermentatam,sed recentem; quod si petas quid differat theriaca recens à fermentata; respõdet ille in compositione fermentata duplari virtutem, quæcunque sit illa siue caliditas,siue frigiditas; itemque fermentationem necessitare augmentum calefactionis in substantia humida confecta,seu permista: sentit ergo Auicennas theriacam fermentatam, & veterem esse calidiorem,quàm recentem theriacam; quod enim scripserat duplari virtutem per fermentationem,non ad quancunque qualitatem,sed ad eam solum,quæ vincit & exuperat; id est referendum; ita vt in theriaca fermẽtata augeatur vis calidorum medicamentorum; remittatur vis opij quod frigidum est,& quantitate exceditur, virtuteque à contrarijs. alioqui Auic.& rationi naturali repugnaret, quæ docet illud quod infirmius est & debilius progressu temporis vinci, superarique ab eo quod est fortius; atque ẽt Galeno,qui lib.5.de methodo meden. cap.13. scribit opium in recẽti theriaca strenuam operam prȩstare; in an-
tiqua

tiqua vero & fermentata illud debiliter admodũ & ignauiter agere; ſed quando etiam concederemus Auic. voluiſſe duplari in fermentata theriaca vim opij; adhuc tamen ſequitur ex Auic. dictis, theriacam fermentatam eſſe calidiorem, quàm non fermentatam, quia calida medicamenta, quorum uis non minus duplatur quàm opij; multis partibus opium ſuperant; ac quanquam diſerte ſcribit Auic. theriacam fermentatam eſſe calidiorem, quàm non fermentatam; non tamen audet de caliditatis gradu certi quidpiam ſtatuere; hoc ſolum ſcribit; fermentatæ theriacæ caliditatem non eſſe maiorem, quam ſit caliditas confectionis diacymini, & cõfectionis diatrion pipereon, cũ hæc & ipſa fermentata accipiuntur. quæ verba ſic interpretatur Iulius Alexandrinus in tract. de theriaca; quaſi Auicennæ animus fuerit theriacæ temperamentum in ſummo calefacientium ordinis ſtatuere; ſubditque is auctor theriacæ temperamentum longe magis ſiccans habendum eſſe, quàm calefaciens; quoniam (inquit) opij additione tot bene alioqui calidorum medicamẽtorum infringi vis poteſt; ſiccitas non poteſt; quippe ſiccum vna, ac frigidum habetur opium, nec fere quicquam in vniuerſa medicamenti totius compoſitione reperias, cuius humefaciendi poteſtate retundi aliorũ ſiccitas queat; reſiccantibus plus minus ad vnum prope omnibus, ex quibus componitur: accedunt paſtilli theriaci, quibus potiſſimum, atque imprimis theriacæ ipſius veluti eſſentia quædam conſtituitur, & à mithridatico antidoto diſtinguitur; qui extenuandi, & reſiccandi facultate valent; hęc Iulius Alexandrinus; qui deinde ſe ipſum apertius exponens ſcribit theriacæ temperamentum eſſe potiſſimum æſtimandum ex paſtillis theriacis; eſſeque theriacam

virtute

virtute aliquanto calidiorem mithridato; sed ſiccitatis vi non parum excedi mithridatum à theriaca. Non defuere, qui in primo calefacientium gradu theriacam reponerent; in quorum numero erat Hieronymus Capiuaccius; mea ſententia hæc eſt, difficile admodum de præciſo caliditatis gradu theriacæ quidquam ſtatui poſſe; quoniam neq; omnes eandem in theriaca componenda ideã ſequuntur; cum aliquos Democratis ſenioris; aliquos Democratis iunioris; alios denique Aetij in componenda theriaca conſilium delectet; quos conſtat non parum inter ſe varios fuiſſe; neque omnes ijſdem vtuntur ſuccedaneis pro illis medicamentis, quæ nobis aut deſunt, aut ignota ſunt; neque omnes eandem adhibent quantitatem, vel vini ad diſſoluenda gummata; reſinas; & concretos ſuccos; vel mellis ad pulueres excipiendos, atque in certam maſſam redigendos; de illis loquor, qui ſenioris Andromachi conſcriptam verſibus theriacæ compoſitionem ſequuntur; non enim hic vt iunior certam vini & mellis pondus appoſuit; ſed id arbitrio reliquit illorum, qui theriacam erant compoſituri; ac quanquam ita ſit; non tamen dubito quin recentis theriacæ calefaciendi vis ad tertium gradum perueniat; fermentatæ vero & antiquæ ſit etiam multo maior; accedatque propemodum ad finem quarti gradus; cum enim ſint multa quæ ad theriacæ compoſitionem adſciſcuntur; opio, & roſis exceptis, illa calefaciendi vim obtinent omnia; atque ex his ipſis pauciſſima ordine primo vel ſecundo; plurima ordine tertio vel quarto calefaciunt; mel quantum pulueres pondere vincit; tantum, atque etiam amplius virtute, & energia à pulueribus vincitur, inuitumque ab illis ad vlteriorem caliditatis gradum trahitur: cum igitur mel

teſte

teste Galeno lib. 7. de simpl.medic.facult.desiccet, & excalfaciat ordine secundo; tot medicamentis additis quæ & opium retundere, ac multis partibus vincere,& mellis caliditatem augere non parum possunt; nonne fit necessario compositio supra secundum gradum calefaciens? quòd autem theriaca exiccet magis quã calefaciat; adeo conuincit Iulij Alexandrini viri eruditissimi argumentũ; vt existimem neminem inter medicos reperiri; qui contra sentiat: qui credunt theriacam primis sex mensibus esse frigidam; insaniunt,meo iudicio; non enim animaduertunt plures esse quocunque tempore gradus caloris in theriaca quàm frigoris; decepit illos locus Galeni in lib.5. methodi cap. 13. cum enim Gal.opium opio conferret, scribens illud in primis mensibus præualentem vim habere, post primos menses esse ignauum; crediderunt imperite & stolide opium conferri cum alijs omnibus medicamentis, ex quibus theriaca componitur.

Quomodo cardiaca resistant putredinis malignitati; & cor præseruent. Cap. VII.



Eceptvm ab omnibus in medicina est, contraria contrarijs curari; proinde nemo ambigere potest; quin illa medicamenta quę tẽperamentũ habẽt putredinis tẽperamento vel ex toto,vel ex parte contrariũ; aptissima sint ad resistendum putredinis malignitati; putredo omnis calore peccat, & humiditate; acida omnia frigida sunt actu, sicca virtute, & energia;

gia; acida igitur ex diametro putredinem impugnant & labefactant; neque vero acida solum; sed etiam cardiaca vniuersa cuiuscunque sint illa generis vim habent exiccandi; cardiaca igitur omnia siccatione aduersantur putredini; sicque ratio est reddita, qua cardiaca resistunt putredinis malignitati; quia scilicet temperamentum habent vel ex toto, vel ex parte contrarium temperamento putredinis; res tamen haud est ita facilis, vt videtur; nam pumex siccissimus est; qui tamen contra putredinem nullam vim habet; subdunt aliqui vt medicamentum sit cardiacum, non satis esse vt vel siccando, vel refrigerando putredinem imminuat; sed præterea oportere; vt vim habeat aliquam adstringendi; qua cor & viscera roboret: pumicem igitur valere plurimum siccando; carere tamen adstringendi facultate; ob idque non censeri cardiacum; qui etsi dicunt aliquid; non tamen rem declarant omnino; quæ enim adstrictio in ruta? in gentiana? in dictamno? in chamædri? in aristolochia? quæ in angelica? in boragine? in buglosso vulgari? hæc tamen cardiaca sunt: quin borago, & buglossum vulgare non solum non adstringunt; sed neque etiam exiccant; cum contra humectent potius. Auicennas tractatu secundo de medicinis cordialibus de theriaca, & mitridato sermonem habens, scribit illa non ratione vllius qualitatis nobis compertæ cor iuuare & corroborare; sed ratione rei cuiusdam occultæ; sensuque minime perceptibilis; hoc est ratione formæ specificæ & substantialis; quod Auicennæ dictum ad omnia cardiaca traducunt aliqui; contenduntque formã substantialem efficere; vt medicamenta sint cardiaca nõ qualitates aut primas, aut secundas; qui meo quidem iudicio nimis audaces sunt, tum in prodenda propria in-

ſcitia; cui turpe excuſationis velum obducunt; tum in introducenda inſulſiſſima empiria pro rationale methodo ad malignas febres curandas; quis negare audeat caliditate, & humiditate malignam putredinem nocere? quis item ire inficias poteſt multa medicamenta reperiri quę manifeſtis qualitatibus, ideſt, frigiditate & ſiccitate putredinis vires infringunt? cui notam non eſt hac ratione acida roſas, violas ad febres malignas mirifice valere? quid occulti miraculi eſt in aromaticis, & frangrantibus cardiacis contra malignas febres; cum notiſſimum ſit cuiuis è vulgo tenuem, ſuauem, & odoram ſubſtantiam vim habere ſpiritus corroborandi; ſpiritus vero corroboratos, & firmiores factos vim addere naturæ ad noxium, & malignum morbum depellendum? Mea igitur ſententia hæc eſt; medicamenta, cardiaca non vnam ob cauſam omnia eſſe appellariq; caldiaca, primum ex illis aliqua a tota ſubſtantia peculiarem quandam familiaritatē, & analogiam cum corde habent; ſicut alia cum iecore vel liene, uel renibus, uel capite, uel ueſica priuatam quondam familiaritatem, & analogiam habent; Gal. lib. 5. de ſimplic. medic. facult. cap. 13. meminit medicamentorum quæ aut cum hepate, aut cum renibus aut cū pleura familiaritatem habent; cap. 24. eiuſdem libri his addit medicamenta quæ analogiam ſeruant aut cum oculis, aut cum ſtomacho; aut cum liene; lib. 1. de compoſit. medicamentorum per genera cap. 1. eorum quoque meminit, quæ aut caput, aut veſcicam, aut pulmones propria quadā ratione & facultate iuuare poſſunt; quòd ſi cęphalica, hepatica, ophtalmica, ſplenica, pleuritica, ſtomachica, nephritica à tota ſubſtantia reperiuntur; cur non reperiantur medicamenta quoque a tota ſubſtantia cardiaca?

diaca ? dices nuſpiam Galenum ſcriptis reliquiſſe huiuſmodi medicamenta, quæ partem aliquam noſtri corporis certa quadam & ſingulari facultate iuuant; à tota ſubſtantia operari; Reſpondeo tametſi id nuſpiam ſcripſiſſet Gal. tamen colligi neceſſario ex illius doctrina: dari enim medicamenta, quæ ex tota ſubſtantia proprietates habent nos iuuandi, aut lędendi; & non ex ſimplicibus ſolum nos attingentibus qualitatibus tum multis locis ſcribit Galen. tum maxime lib. *6.* in *6.* epidemiorum comm. 5. cum igitur qualitates primæ & ſecundæ medicamentorum communem fere & ſimilem ad omnes partes noſtri corporis relationem habeant; proprietates vero iuuandi aut lædendi hāc partem potius quam illam cauſam habeant non communem ſed propriam, & priuatā; aſſerendum eſt neceſſario facultates eiuſmodi non è primis aut ſecundis qualitatibns naſci, ſed ex ipſamet medicamentorum ſubſtantia; quoniam nullum medicamētum proprij aliquid habet niſi ſuam ipſius ſubſtantiam, & proprietates à ſubſtantia enatas; quæ alio nomine ſpecificæ virtutes dicuntur; quid nam vero ſubſtantiæ nomine ſit intelligendum, num temperamentum ex primis qualitatibus; an eucraſia ex qualitatibus ſecundis; an forma naturalis quæ eſt ſubſtantia & res quædam ab omnibus accidentibus diuerſa, an quidpiam aliud non diſputo in præſentia; ad hoc primum genus pertinent fortaſſe borago, & bugloſſum vulgare; nū vero medicamenti ſubſtantia ipſa per ſe primo, & immediate poſſit eſſe alicuius actionis principium, vt ſentit Scotus lib. 2. 5. d. *16.* & in 4. 5. d. 12. an ſit neceſſarium virtutem operatiuā rei cuiuſcunque poſt deum eſſe diuerſam ab illius ſubſtātia vt ſentit D. Th.. primæ partis q. 54. art. 3. nō eſt medici

Ii 2 diſpu-

disputare. Secundo dicuntur aliqua cardiaca; quia ex tota substantia virtutem naturalem corroborant; virtute vero naturali corroborata probus sanguis gignitur; qui deinde spirituosus factus ex corde in totum habitum corporis citissime diffunditur; atque hoc modo fortasse cardiaca est theriaca, de qua Gal. lib. de theriaca ad Pisonē cap. 16. ita scribit; theriaca optimam quandam temperaturam corporibus procurat; & in eis bonam valetudinē conseruat; absumit enim humores superfluos, calefacit membra refrigerata; corroborat naturalem virtutem, vt debitas actiones exercere queat: nam quando fortis natura fuerit; tunc & venter expedite cibos concoquit, & venæ sanguinem facile producunt, & iecur prompte bilē secernit; atque ita defęcatum sanguinem cor suscipiens ipsum deinceps vniuerso corpori iā nutriendo idoneum submittit. hactenus Gal. qui tametsi diserta oratione non scripserit corroborare theriacā naturalē virtutē ex tota substātia, id tñ colligitur quoquo mō ex illius dictis, cū.n. naturalis virtus diuersas facultates amplectatur; easque quodammodo contrarias, quia concoctio, & retentio cō trario modo fiunt, quàm distributio & expulsio; secretioque humorum inutilium ab vtilibus contrario modo fit, q̃ fiat attractio, appetitio, & affixio humorum vtiliū; non potest vllum medicamentum totam naturalem hominis virtutem corroborare per vnam aliquam ex primis, aut secundis qualitatibus, quas habet; sed necessario, vt virtus naturalis tota in nobis corroboretur, vel à proprietate specifica, vel à toto temperamento proficisci debet medicamenti iuuamentum si quæ sunt, quæ tota substantia toti hominis substantiæ amica sunt; ita vt non cor tantum, vel naturalē virtutem respiciāt, sed animā ipsam hu-

manam,

manam, ꝑ se huc referuntur. Tertio dantur medicamenta cardiaca, quæ primis aut secundis qualitatibus, aut ẽt vtrisque, vel cor corroborant, vel humores cordi noxios infringunt, imminuunt, corrumpunt; cor corroboratur facultate modice adstringente; humores praui hebetantur, & corrumpuntur, vel calefacientibus, vel refrigerantibus, vel humectantibus, vel siccantibus, vel aperientibus, vel adstringentibus, vel incidentibus, vel denique his similibus qualitatibus; in palpitatione cordis è causa frigida vtimur cardiacis, quæ calefaciunt, & flatus discutiunt; in febre ardente & in maximo æstu, qui interitum minetur vtimur cardiacis refrigerantibus; contra gypsum haustum, quod periculum est ne exsugat, atque exiccet totum cordis humidum, & contra febrem hecticam pro cardiacis sunt humectantia; contra pestem, & contra humores maligne putres opportuna cardiaca sunt illa quæ vim habent exiccandi, vt colligitur ex Gal. lib. 9. simpl. contra crocum quod immodica quantitate sumptum aperit, & laxat viã spiritibus ita vt abeãt; cardiaca creduntur illa, quæ adstringunt; hæc enim illi contraria. Scaliger exercit. 33. cap. 2. terra (inquit) lemnia astrictione sua videtur sese inter venenum, & cor interponere: sed huiusmodi astrictio mihi valde suspecta est; non enim crediderim astrictionem ex terra lemnia esse cardiacam, cum ea est extra cor, neque astrictio venenis aduersatur, nisi quatenus viscera corroborat; hæcque corroborata abigunt à se venena, & deleterios humores. Quarti generis cardiaca sunt illa, quę tenui, & odora substantia spiritus reficiunt; qualia sunt aromatica omnia; cinnamomum, gariophylli, rosæ, violæ, radix angelicæ; radix imperatoriæ; lignum aloes, & his similia; vim enim di

ci po-

ci poteſt quantum ſpiritibus refectis, cordis quoque ſubſtantia reficiatur; ratio eſt, quia cordis calor eſt, halituoſus maxime ſpiritusque tenuitate ſua excitant, & fouent halituoſum ſanguinem. Quintum cardiacorum genus vi dentur facere alexipharmaca; quale eſt fortaſſe oleum de ſcorpionibus Matthiolis. hæc enim quatenus à noxa per deleteria medicamenta illata hominem liberant cardiaca cenſentur, quia vitæ fons in corde eſt; deleteriaque medi camenta proprietate ſua vitæ fontem impetunt; quatenus vero vt ſcribit Gal. lib. 5. de ſimpl. med. facul. cap. 18. naturam habent mediam inter humanum corpus, & deleteria medicamenta proprium quoddam cardiacorum genus faciunt; cuius proprium eſt, vt ibidem ſubdit Gal. ſi largius ſumatur; grauiter animantis corpus oblædere. huc referri poſſunt illa, quæ compoſita ſunt ex veneno, & ex ijs, quæ venenis tota ſubſtantia aduerſantur; de quibus ſic Scaliger exercit. 33. cap. 2. venenum additum eſt, vt peculiari ſimilitudine cognatum venenum appeteret; cumque eo ſeſe inuolueret, atque ei afferret id, quod ipſum vel expelleret, vel extingueret; quæ ratio æque referri poteſt ad illa alexipharmaca, quę virtute ſolum compoſita ſunt; à naturaque compoſitionem habent, non ab arte; quid enim obſtat ad virtutes transferre quæ Scaliger ad corpora diuerſa transferebat. Sexta ratio cardiacorum eſt in ijs medicamentis, quæ humores putres, ſeu ēt vapores ad cor vergentes, à corde auertunt; illoſque ad ignobiliores partes traducunt; quod de putridis humoribus & vaporibus dixi; idem de venenis dici poteſt. Exempla ſunt innumera, potus frigidæ; theriaca, lapis bezar, radix angelicæ ſudore elicito auertunt à corde malignitatis & veneni noxam: ſemina citri maximam vim habēt

tradu-

traducendi vapores & flatus à visceribus ad ventris vasa egoque cum iuramento possum affirmare in maximis hypochondrij, aut lumborum doloribus decoctionem ex seminibus citrij mali mirificam operam præstitisse; flatu toto ad ventrem ex affecta parte traducto citissime,& potentissime. neque vero parum est in malignis febribus vapores putres ad cor agminatim vergentes alio auertere; quoniam putris vapor putredinis est seminarium; vixq; potest contingere; cum putres & maligni vapores ad partem aliquam copia magna feruntur; quin illic maxima, & nocentissima putredo excitetur. atq; hi modi per quos cardiaca medicamenta vel cor præseruare, vel illud corroborare, vel putredinis malignitati resistere dicuntur;& si inter se diuersi sunt; sæpe tamen contingit,vt ex illis plures in rem eandem conspirent,v.g. theriaca, & tota substantia forte & ingenti siccitate, & sudore elicito, & calore velut igne purgatorio. facultatem habet iuuandi cor in putridis & malignis morbis,nisi illius exhibitionem aliquid impediat; radix angelicæ tum aromaticitate sua, tum siccatione,ac præterea excitatione sudoris cardiaca est. lapis bezar & siccat,& sudorem prolicit;semen citrij mali & exiccat, atque etiam dispellit à corde humores putres; sit vero hic finis propositæ quæstionis.

Num omnia cardiaca indifferenter conueniant in maligna febre. Cap. VIII.


VAESTIO est bipartita; est enim prima controuersia vtra magis conueniant in maligna febre illa ne quæ virtute specifica, & à tota substantia operantur; an illa quæ vim suam exerunt per manifestas qualitates. recentiores quidam præferunt his illa, sed falluntur manifeste; nam virtutes à tota substantia experientia sola cognoscuntur, quæ vt inquit Hippoc. aphor. primo primæ sectionis periculosa est; at quæ ex manifestis qualitatibus virtutes sunt, cognoscuntur experientia, & ratione; possuntque arte & methodo in Medicinæ vsum reuocari; deinde difficillimum est intelligere, quæ virtutes sint à tota substantia; non enim quia nos non assequimur quatenus vis & facultas aliqua medicamenti à manifestis qualitatibus nascatur; statim consequens est illam à tota substātia esse, & non à qualitatibus, quia vis humani ingenij sæpe, & in multis infirma est; scitumque est illud Arist. axioma, non ex humanæ mentis iudicio, sed ex eo quod res est, vel non est orationem dici veram vel falsam; obscuritatis causa est tum formæ, & formaliū proprietatum natura; sunt enim hæc imperceptibilia sensu; & non possunt apprehendi nisi per negationem, & adulterina cognitione; tum etiam qualitates ipsæ quæ tametsi sub sensum cadunt; innumeris tamen modis complicantur inuicem, qui nobis incomperti sunt; at præstat causas sectari notas q̃ ignotas; qđ multæ virtutes à quali-

litati-

litatibus manifestis natæ nobis incompertę sint. exemplo sunt odores & sapores, de quibus incertum est admodũ quatenus primarum & secundarum qualitatum eucrasiã sequantur; quos tamen exploratum est à manifestis qualitatibus nasci; esse incertum, quod diximus inde colligo; quòd ex odoribus & saporibus nulla est certa via & ratio; qua cognoscamus, quo vnumquodque ex medicamentis sit temperamento; quòd si respondeas miscellarum varietatem, & partium diuersitatem incertitudinis huiusce causam esse; non quia de odorum & saporũ causis manifestis dubiũ sit, possum ego vicissim subdere hoc ipsum posse quoque causam esse; cur nos lateant multæ à qualitatibus manifestis enatæ proprietates; obscurantibus se mutuo causis, à quibus illæ originem habent; tametsi in genere compertũ sit illas nasci à qualitatibus manifestis, quin quando etiam concederetur à nobis vltro, hanc vel illam proprietatem à tota substantia esse; & non à qualitatibus manifestis; adhuc tamen ad Medicinæ vsum procliuior esse animus debet in proprietates à qualitatibus manifestis, quàm in proprietates à tota substantia; ratio est hæc; ad medicamenti vsum non sufficit scire illius virtutem esse ab hac vel illa causa; sed præterea nosse oportet virtutis modum; hoc est qua potissimum ratione, & ad quem vsque terminum illa in actum educatur; itemque quibus causis illius actio impediatur; certũ est enim contrarietatem & repugnantiam reperiri in virtutibus quæ sunt à tota substantia; æque ac in virtutibus quæ sunt à qualitatibus manifestis; quia magnetis attractio omnium actionum maxime ad virtutem à tota substantia à plerisque referri solet; at non desunt quæ magnetis actionem, vel extinguant omnino, vel certe impediant;

pediant; vt docet Baptiſta Porta lib. 7. magiæ naturalis cap. 16.30.& 51. Hieronymus Fracaſtorius cap. 1. libelli ſui de ſympathia, & antipathia rerum, plurima recenſet, quæ latenti quodam & occulto diſſenſu ſibi inuicem aduerſantur; antipathiamque efficiunt; iſthæc vero noſſe difficillimum eſt; nullum nobis ratione ad illorum inueſtigationem auxilium exhibente; temerarij igitur conſilij eſt, cum de ęgroti ſalute agitur prætermiſſis cardiacis quę agunt per manifeſtas qualitates ad illa cardiaca tanquam ad ſacram, & tutam anchoram recurrere, quorum virtus à tota ſubſtantia eſſe creditur. Secunda & grauior inter doctos viros controuerſia eſt hæc; num ex illis cardiacis quæ agunt per manifeſtas qualitates conueniunt omnia indifferenter in febre maligna? tria ſunt in quacunque febre putrida, ad quæ Medicus curationis ſuæ conſilium dirigere debet, obſtructio, putredo, & febris; obſtructio indiget deobſtruentibus, quæ calida ſunt; maiori ſaltem ex parte; putredo indiget frigidis & ſiccis vt coerceatur; febris non tollitur per ſe, & primo, niſi refrigerantibus, & humectantibus; ex his tribus illius, aut illorum primum, & potiſſimum eſt habenda ratio; quæ magis vrgent; alijs tamen non neglectis; hac facta æſtimatione ſequuntur aliæ duæ; prima eſt, vt illud quod habet rationem cauſæ efficientis prius tollatur, quàm illud quod habet rationē effectus; ſecunda, vbi hoc curare ante illud non licet, vt ad illud, quod ordo dictat, reſpiciatur; præſcribit hæc Galenus Medicinæ maximus & incomparabilis artifex in libro 7. de methodo meden. cap. 12. videamus igitur quid magis vrgeat in maligna febre ex illis tribus; non obſtructio magis vrget, quia febris valde diuturnæ ex obſtructionibus fiunt contumaciſſimis, & ſublatu difficillimis,

quæ

quæ tamen periculi aut nihil, aut parum habent: contra obſtructiones ex quibus fiunt malignæ febres, niſi æger intereat; intra paucos dies tolluntur; quod indicat illas non eſſe admodum rebelles, & difficiles; febris vrget illa quidem; minus tamen quàm putredo; quoniam in febre ardente æque vruntur interna atque maligna; ardentes tamen febres minus periculoſæ ſunt malignis omnium iudicio Medicorum. Item putredo, qua putredo humanæ vitæ eſt inimicior, inſidioſior, & nocentior quàm febris, qua febris: nam putredo ex Ariſt. in lib. 4. metheorolog. ortui ſimplici rerum omnium naturaliter opponitur; quod nemo dixit de febris ardore; item quod ſemel cōputruit, non poteſt deinde arte vlla emendari; integritatique priſtinæ reſtitui; at quod per febrem ſupercalefactū eſt, poteſt ad priſtinam & naturalem frigiditatem redire; præterea qua putredo alienior eſt à natura hominis quā febris qua febris; igitur in maligna febre ex illis tribus vrget primum putredo; deinde febris; poſtremo obſtructio; quod ſi æſtimatio facienda ſit, quatenus hæc tria ſe habeant inuicem in ratione cauſæ, & effectus; certum eſt præcedere obſtructionem; ſubſequi putredinem; in poſtremis reponi febrem: nam obſtructio fecit putredinem; putredo febrem. ordinis ratio hæc eſt; non poteſt tolli febris, niſi putredine prius ſublata; putredo poteſt imminui, atque etiam penitus tolli obſtructione non omni ex parte ſublata; quoniam cum ſtatus morbi præterijt, putredo eſt valde remiſſa; & fortaſſe ēt extincta concocto humore putri reſiduo eo modo quo pus; at remanēt etiā tum in humano corpore obſtructiones; manſuræ etiam diutius, niſi conueniens euacuatio ſubſequatur. ex his colligitur Medicum cum ſuſcipit curandam malignam

febrem debere potiſſimum reſpicere in putredinem; de illaque imminuenda, & labefactanda potiſſimum cogitare tanquam de eo quod magis vrget; & tanquam de eo quod febris cauſa eſt. quòd ſi febris qua febris; & obſtructio inter ſe comparentur; dicendum eſt febrem magis vrgere quam obſtructionem; eandemque tolli poſſe obſtructione nondum ſublata; obſtructionem tamen eſſe febris cauſam; vrget magis febris quam putredo, quia plerique integra valetudine fruuntur, quibus tamen pars aliqua obſtructionibus laborat, v.g. hæpar, lien, meſenterium; cyſtis fellis, renes, poteſt tolli febris non ſublata obſtructione, quia id docet Gal. in libro nono de methodo meden. cap. 4. cum ſcribit ſæpe fieri vt frigida confertim, & copioſe hauſta febris eradicetur; obſtructionibus non ſolum non ſublatis, ſed contra maioribus, crudioribus, & difficilioribus redditis; poſt putredinem igitur habenda ratio primum febris; deinde obſtructionum, quæ putredinis, & febris cauſa fuerunt. Ex dictis conſequens eſt cardiaca refrigerantia eſſe cum primis opportuna in maligna febre, quia expoſcuntur æqualiter à putredine, & febre; quod ſi eadem incidendi, & aperiendi vim aliquã habeant ſubſtantia ſua tenui; ad obſtructiones quoque tollendas multum conducunt; cardiaca exiccantia prodſunt mirifice putredini, ſed febrem augent; proindeque in cardiacis ad febris malignitatem ſecũdum locum merentur. Cardiaca calida ſi temperata ſint, iuuant obſtructionem & putredinem promota concoctione; veriſſime enim à Galeno ſcriptum eſt cap. 89. artis Medicinalis coctione ſiſti putredinem; rationem nos alibi reddidimus, quia ſcilicet quidquid putreſcit, & pariter coquitur; deteriori modo putreſceret, niſi concoqueretur, quòd ſi calore

lore modum excedant febrem augent; putredini aculeos, & vim addunt; interturbataque concoctione humorum putredini habenas laxant; & obstructiones fouent; non enim alia via commoda, & salubris est ad obstructiones tollendas, nisi ea quæ fit per humorum concoctionem; interturbãt vero cardiaca huiusmodi humorũ concoctionẽ; quoniã vt Gal. docet li. 1. ad Glauc. cap. 11. & li. de p̃c. ad Posthumum cap. 2. medicamenta omnia insigniter calida humores nimium agitant; estque receptum ab omnibus in medicina retinendo, quiescendoque naturam perficere coctionis opus; ista igitur cardiaca explodenda sunt omnino à malignæ febris curatione; vtpote quæ nulli scopo inseruire possunt: quid si morbus tempora sua vniuersalia excurrens nulla coctionis signa det, sed principio, incremento, statuque & declinatione pro signis salubritatis, signa det insalubritatis? num hoc quoq; casu arcenda sunt à febre maligna cardiaca insigniter calida? ita sanè; nam nullus seruari potest ex maligna febre ęger nisi per humorum concoctionem; proindeq; quemcunq; finem præseferat ægritudo; nihil agere, nihil moliri Medicus debet; quod naturam ab incipienda concoctione possit auocare; mitto quòd in febribus, quę habent signa insalubritatis calor tum maior est, tum etiam acrior; ob idque in illis est cauẽdum maxime à medicamentis quibuscunque, quæ viscera magis excalefacere, & acrius vrere possunt. Non me latet aliquos non paruæ notæ Medicos theriacam probare in malignis febribus curandis; atque ex recentioribus maxime Iosephum Valdanium; Hieronymum Donzellinum, & Herculem Saxonium; eosdemque probabilibus quibusdam argumentis vti; & apparentes aliquot Galeni locos pro se adducere,

re, quo alijs id quod ſentiunt perſuadeant; ſed eorũ opinio confutatur optime à Iulio Alexandrino, à Vincentio Calzauelia, & à præceptore meo Alexandro Maſſaria viris doctiſſimis, & in Galeni doctrina exercitatiſſimis; ex Medicis omnibus, qui in febribus theriacæ vſum admittunt, nemo eſt Franciſco Valeſio tollerabilior qui lib. 7. epidemiorum comm. 79. ita diſtinguit, vbi in febricitante redundantia eſt acrium & tenuium humorum theriacæ, cardui, ſcabioſæ, & ſimilium vſus noxius eſt, quòd ſi in febricitante redundent humores craſſi; ſecus ſe res habet; atque hæc de cardiacis calefacientibus dicta ſufficiant. Cardiaca humectantia laxant, aperiuntque obſtructiones, & febrem remittunt; putredinem vero eatenus iuuant, quatenus vehiculum ſunt illorum medicamentorum; quæ per ſe valent ad putredinem exiccandã, imminuendam, & tollendam: voco cardiaca humectantia, non tam illa, quæ natura ſua talia ſunt; quàm ea quæ ars talia reddidit, v.g. iuſcula, & ſorbitiones medicamentoſas, in quibus vel ſemina citri, vel radices pentaphylli, vel radix oxalidis, vel denique cardiacum aliquid ebullierit; hæc enim cum ſint humida actu, & ſicca poteſtate ęque ad putredinem, atque ad obſtructiones & febrẽ valent; borago, bugloſſum vulgare; & ſi quæ ſunt talia per ſe, & natura ſua humida eatenus probantur in malignis febribus, quatenus humiditati adiunctam habent aliam conuenientem qualitatem, v. g. moderatam caliditatem, vel etiam frigiditatem: humida enim & frigida eſt aqua è roſis ſtillatitia. Cardiaca quæ moderate adſtringunt, etſi neq; ad putredinem, neq; ad febrem, neq; ad obſtructiones vim aliquam habent; probantur tamen in malignis febribus niſi illis nocens aliqua qualitas adiũ-

ɗa ſit; quia cor, & viſcera omnia corroborant. Primi, ſecundi, quarti, & quinti generis cardiaca probãtur ſemper in malignis febribus; cum qualitates manifeſtæ in ijs repertæ præcipuis Medici ſcopis reſpondent; ſecus minime: non enim ſi quid à tota ſubſtantia aut cor roborat; aut virtutem naturalem firmat; neque ſi quid odorũ & ſuaue eſt; aut vim habet alexipharmacam; ſtatim quoque ad malignam febrem valet: quia ſiue calore excedat; ſiue ſupra modum adſtringat; ſiue incraſſandi vim habeat; ſiue nimium fundat, agitetque humores; ſiue ſuperfluas vigilias inducat; ſiue per vim diſſoluat corporis habitum; ſiue noceat denique inſigniter; quocumque modo id fiat, ineptum eſt, vt contra malignas febres adminiſtretur: De cardiacis ſexti generis idem prorſus eſto iudicium; ac præterea notetur ſedulo, & diligenter; vt quantum fieri poteſt ab illis caueatur ante coctionis tempus, quæ humores non turgentes ſiue per ſudorem, ſiue alio modo ſenſibiliter mouere poſſunt: quia quod Hippocrates vniuerſe pronunciauit concocta medicari; & moueri oportere, non cruda; ad humores qui non turgent transferri debet; non ad vapores, quod ſi humores turgeant; nihil prohibet, & cardiaca humores mouentia, & alia quoque maiora præſidia, quæ vacuandi, & reuellendi vim habent; concoctione non expectata in vſum reuocare.

De

De Pharmacis euacuantibus concoctos, & dispositos humores in maligna febre. Cap. IX.



VATENVS expectanda sit, vel non expectanda humorum concoctio in curatione malignæ febris, disseruimus antea; reliqua quæ ad hanc rẽ pertinent; hoc capite sunt perstringenda; Vacuatoria pharmaca vel ad subducendum ventrem, vel ad purgandum totum corpus; vel ad mouendum vrinas; vel ad proliciendum sudorem, vel denique ad prouocandum vomitum referuntur; de quibus sigillatim decernendũ est; quo tempore, quatenus, & per quæ conueniant; quatenus inquam, hoc est qua copia; quibus correcta, & ad quem vsque terminum: subducimus ventrem aut clysterijs, aut medicamentis illis, quæ Gal. lib. 6. de simpl. medicam. facult. cap. de Aloe vocat ἐκκοπρωτικὰ hoc est excernentia stercus, clisteria nisi aluus sponte excernat; conueniunt alterius diebus, paulo ante cibum, & in morbi declinatione: quod dixi illa alterius diebus conuenire hac conditione verum est; si educunt, quantum oportet, secus .n. eousque sunt repetenda, donec uoti compotes simus; non probo illorum institutum qui iubendi clysteria nullum finem faciunt; ægrotosque singulis diebus; atque etiam si dijs placet, mane & vespere discruciant: quies ad concoctionem facit plurimum, & vix dici potest; quam leni occasione in corpore grauiter ægrotánte maximæ turbæ excitari soleant: cuius rei causa est

tum

rum copia, mobilitas, & ebullitio humorum; tum naturæ vel languor, & imbecillitas; vel oppressio à morbo: Debent clysteria ex vberiore materia fieri; quo ventrem totum perluant, & fęces febris calore redditas aridiores abunde molliant: illorum præcipuus scopus est emollire fęces, & irritare leniter facultatē expultricem; tamen correctionis ergo alia quoque in ijs desiderantur; nempe vt flatus citra vim discutiant, vt refrigerent suauiter, vt contemperent humores in ventre repertos, facultate sua epicerastica, vt denique firment, & corroborent intestina. eductionis per clysteria terminus ab ingestorum alimentorum quantitate accipitur; ab ægrotantis ætate, & à morbi qualitate: de ętate sic philosophatur Hippocrates aphorismo 20. sectionis secundæ, quibus iuuenibus adhuc ventres humidi sunt; his senescentibus siccantur; quibus vero iuuenibus adhuc ventres sicci sunt; his senescentibus humectantur; idem Hippoc. prognostico 15. libri secūdi, sed oportet, inquit, pro quātitate ingestorū deijcere bis aut ter in die, noctu semel; plurimum autem subeat primo mane, quemadmodum homini consuetū est. in qua oratione notandum est illa verba [sed oportet pro quantitate ingestorum deijcere] in omni tempore morbi verissima esse; at illa quæ sequuntur non habere veritatem certam in ægrotis, nisi cum declinat morbus; & æger ad victum sanorum paulatim accedit. vt enim ęgrotantis deiectiones respondere poterunt numero & quantitate deiectionibus illiusmet bene valentis; cum sæpe ægrotum in inædia contineamus, bene valentem nunquam? & cum sæpe æger alatur sola ptisana hordeacea, sanus vero multos cibos voret? quod scripsi terminum eductionis per clysteria à vi morbi accipi; ita accipiendum est, calor

partis, cuiuscunque in febricitante vrentior est, & voracior, quàm in non febricitante; fitque plerunque, vt partes tenuiores fęcum & aliorum excrementorum ardor febris absumat; tumque fęcum quantitati quæ ingestorum quantitati respondens expectabatur; tantũ est detrahendum quantum verisimile est vi febrilis caloris absumptũ fuisse; idem febris calor causa est interdum, vt deiectiones sint copiosiores, & liquidiores, quàm pro ingestorum ratione; cum scilicet vrentissimo calore hepatis, vel alterius partis, in qua sit putredinis, & igneæ accensionis focus ventriculi & intestinorum calorem ad se attrahente, non bene separant primæ concoctionis vasa partem vtilẽ alimenti ab eiusdem excrementis, fęcesque ob eam causam, & copiosiores & liquidiores redduntur; ex dictis facile est intelligere, quæ sit materia clysteriorum in febre maligna: nempe violę; decoctio hordei; cremor hordei; serum caprillum; pruna; myxaria; mel rosaceum; zucc. rubrum; cassia pro clysteri; oleum violatum; oleum rosaceum completum; camomilla; fęniculum; malua; bismalua; & id genus alia sexcenta: Medicamenta quæ per os sumpta ventrem tantum subducunt, conueniunt primis morbi diebus, hoc est non multo ante, aut non multo post sanguinis missionem; quòd si clysteriorum vsus non possit quidquam ægroto prodesse; nihil impedit quocunque ẽt morbi tempore illa ægroto præscribere; dum ratio habeatur diei minus affligentis, & horarum, in quibus paroxismus, & exacerbatio in declinatione est: decreti ratio hæc est; illa quæ in primis, ijsdemque amplis vasis continentur, nõ indigẽt ut excernantur; antecedenti ulla cõcoctione; sed cedunt vltro medicamentis, dum ventriculus & intestina primæ concoctionis opus absoluerint; suc-

cumque

cumque alimentosum extractũ è cibis ad hepar transmiserint: qđ idẽ de excrementis omnibus credendũ est, quę natura ab vtilibus humoribus iam secreuit; v. g. de bile in cysti fellis, & de humore melancolicho in liene coaceruatis, itemque de vrina quia non alia causa est, cur praui humores in venis reperti concoctionem desiderent, antequàm excernantur; nisi quia nondum illos natura secreuit satis ab humoribus probis, & laudabilibus; cum secretionem omnem propria quædam concoctio antecedat seu perfecta, quæ est mutatio alimenti in substantiã, seu imperfecta, quæ est similis generationis puris. quanquam vero generatim verum est leniens medicamẽtum proxime debere vel antecedere, vel subsequi sanguinis missionem; diei tantum inter vtrunque posito interuallo; tamen quum morbus valde vrget; periculumque imminet citissimæ in toto sanguine corruptelæ; sanguinis missio debet omnino antecedere subductionem uentris; alioqui putredine latius serpente, & interiora permeante vires concident; euadentque in deterius omnia: qua vero copia, quibus correcta, &ad quem vsque terminum, hoc est quantæ virtutis exhibenda sunt lenientia medicamenta? copiosa pharmaci potio; itemq; ingens medicamenti, cuiusuis moles uentriculum facile subuertit; nauseamque, & afflictionem oris uentriculi excitat in maligna febre, quòd sic morbus frequens habeat hoc symptoma propter consensum maximum inter os ventriculi, & cor: breuis igitur sit bolus aut potus, qui ventrẽ est subducturus ægroti malignè febricitantis; correctio optima est, quæ fit per semina citri, aut per decoctionem fructuum & florum cordialium; robur medicamenti non debet modum excedere; quia in corpore uehementer agi-

tato; & quodã uelut ebullientis putredinis turbine acto motus quiuis incitatior periculosus est: inimicusque cõcoctionis; in qua una ægroti spes est posita: Voco autem lenientia medicamenta ius sebesten; serum caprillum; syrupum rosatum solutiuum, syrupum uiolatum solutiuũ; ius prunorum damascenorum; cassiam; tamarindos; electuarium de sebesten; diaprunis simplex; mel rosaceum solut. mel uiolaceum solutiuum; ius galli; mannam; infusionem senæ; electuarium lenitiuum, & id genus alia; de quibus cautio summa sit ne temerè & promiscue vsurpẽtur; quoniam à febre maligna longissime debent abesse omnia, quæ aut nimis excalefacere; aut nimis torquere; aut flatus gignere uel mouere; aut in bilem uerti facilia sunt; conueniunt igitur cassia; tamarindi; sebesten; pruna iurulenta; serum caprillum, diaprunis simplex; syrupus rosatus solutiuus; syrupus uiolaceus solutiuus. nõ conueniunt sena; ius galli, manna, mel, & electuarium lenitiuũ; atq; hæc de uentre subducendo dicta sufficiant. pharmaca: purgantia non alia esse debent, quàm quę uulgo bene dicta appellãtur; scãmoneata omnia angue & cane peius fugienda: ac quanquam calida omnia minus nocent post concoctionis notas in hoc morbo; quàm ante concoctionem; laudo tamen summopere, ut pharmacorum calor temperetur semper aliquo refrigerante; facta verbi gratia, rhabarbari infusione, uel in sero caprillo, uel in decoctione cichorei, quòd si rhabarbarum non ex infusione detur sed ex puluere; conserua ex rosis aptissima est ad illius correctionem: cætera quæ diximus cauenda esse in medicamentis quæ ventrem subducunt; caueri debent in pharmacis purgatorijs multo magis, quod hęc sine ratione administrata vim maiorem ad nocendum habeant:

beant: coctionem præcedere necessario purgationem in morbis acutis notius est, quàm probatione indigeat. Vomitus in febre maligna vix potest esse ex vsu, nisi in principio fortasse cum ventriculus multis cruditatibus præmitur, quod tamen raro accidit. ratio est, quia humores, qui malignæ febris causa sunt; partes nostri corporis obsident penitiores; at vomitus non commode euacuat nisi illa, quæ magna ventriculi capacitate continentur. mitto quod thorax; os ventriculi, & caput nobilissimæ hominis partes uomendo laboris non parum sustinent interdum; eoque magis si æger naturam & constitutionem habeat ad vomendum difficilem; at à febre maligna procul est abigendus labor quiuis; quod ipsa per se ægritudo sit laboriosissima. Sudoris, & vrinæ prouocationem non laudat Gal. nisi post morbi concoctionem; ego vero lubens addiderim; & post vniuersalem totius corporis purgationem; dicti ratio hæc est; sudor & vrina humores excernuntur tenuiores & magis fluxiles; periculum est igitur illis excretis, nisi vniuersalis purgatio præcesserit, vt qui supersunt in corpore humores crassi; concretiores & ad euacuandum difficiliores reddantur; attamen si post perfectæ concoctionis notas, ad sudorem vel ad vrinam omnia naturaliter vergunt; adiuuandus sine cunctatione est conatus naturæ; credendumque maiorem morbi partem in paucis humoribus, ijsque tenuioribus positam fuisse, quia natura post morbi concoctionem perfectã illa prius excernere solita est, à quibus infensius, & molestius offendebatur. Sudorifica, & diuretica largis haustibus accipienda sunt, quod illa per totum corporis habitum; vim suam diffundere; hæc ex omnibus venis serosum succum elicere oportet; eadem non multo calore debent excedere,

re, neque esse admodum fortia & violenta: proindeque probatur maxime in sudorificis aqua hordei, quam correxerit radicula petroselini; in diureticis adiantus, capillus veneris, semina melonum, & id genus alia; quorum sylua magna est apud bonos auctores; sæpius in die sudare non expedit ægroto, nisi forte per se ipsam natura id faciat, arte Medici minime adiuta; laborem enim & resolutionem inducit sudor; proindeque bis in die ægrum ad sudorem cogere graue est, & periculosum. in vrina contra se res habet; quoniam homo naturaliter sæpius mingit; citraque laborem, & resolutionem; ob id eodem die iterum, atque iterum ægroto diuretica exhibere consilij est à ratione non alieni. atque hic tractationis de præsidijs pharmaceuticis in febre maligna finis esto.

LIBRI TERTII FINIS.



DE

DE NATVRA, ET CVRATIONE MALIGNAE FEBRIS LIBER IIII.



De pharmacis diæteticis & primum vndenam sumatur debita victus & potus administratio in morbis acutis. *Cap. I.*



DEBITA victus administratio multa comprehendit; quæ sunt forma seu substantia, quantitas, qualitas, & quando, seu opportunitas, idest numerus, & horæ cibationum; quibus additur administratio potus; voco autem substantiam cibationum, victum tenuem, vel crassum, vel inter hæc medium, differre quantitatem à substantia inde colligo; quod siue tenuis, siue crassus, siue medius sit victus; potest is & multus, & paucus esse, qualitatis discrimen efficit, vt cibi vel refrigerantes sint, vel calefacien-

tes, & vel humectantes, vel exiccantes; itemque vel aperientes, vel adstringentes; à numero est, vt ægrotantes vel crebro, vel raro alimentum accipiant; horæ autem tempus illud sunt; in quo ægros alere oportet; hoc igitur capite generalis doctrina tradenda est; vndenam statuat Medicus de debita victus & potus administratione in morbis acutis; sequentibus autem capitibus differetur sigillatim de forma, de quantitate, de qualitate, de numero, & horis uictus in maligne febricitantibus administrandi, atque de eorundem potu. Vt proposita quæstio accuratius discutiatur; declarandæ antea sunt voces illæ victus tenuis; victus crassus, victus medius, quæ obscuritatis aliquid habent; reliqua vero vocabula quãtitatem, qualitatem, numerum, & horas victus significantia sensum habent apertum, & minime dubium. Gal.cõment.super 4.aphor.sectionis primæ distinguit triplicem victum, tenuem; mediocrem; & plenum, quem nos crassum appellabamus; aitq; pleno victu augeri nostri corporis vires; tenui victu diminui, mediocri conseruari tales, quales sunt; subdit Franciscus Valesius lib.8.controuers. medicarum cap.1.mediocrem victum appellari nõ illum qui inter crassum, & tenuem est ad vnguem medius & symmeter; quod ad conseruandas vires tales, quales sunt necessarium sit victũ nonnihil vergere ad crassum & plenum; propter virtutis lapsum ex erroribus, qui contingere possunt inopinato, & fortuito casu; quem lapsum tenetur Medicus præcauere aliquanto plus cibi exhibens exquisitissimo, i.eo, qui est ad vnguem medius, idem auctor contendit eo loco Hippocratem aphor. 5. sect. 1. appellare victum hunc ex arte mediocrem, victum paulo pleniorem; ita vt victus paulo plenior sit is; qui ita inter plenũ

& te-

& tenuem est medius; vt ad plenum aliquantulum vergat. Victus tenuis habet latitudinem aliquam, inquit Gal. loco proxime citato, colligiturque ex Hippocrate aphor. 4. 5. 6. & 7. primæ sectionis, est. n. triplex tenuis; tenuissimus; & in extremo tenuissimus; Gal. exempla dat vtriuscuiusque, integra (inquit) inędia est in extremo tenuissimus victus. solum melicratum est victus tenuissimus; ptisanæ succus est victus tenuis, quę sumpta sunt ex Hippocrate in lib. de veteri medicin. fol. 26. quartæ classis, credendum vero est, quemadmodū victus tenuis latitudinem habet; ita plenum, & mediocrem victum latitudinem habere: vocat autem Galenus victum plenum, illum, qui fit per oua, alicam, & pisces, atque alia huiusce modi. His positis ad quæstionē respondeo, victum non exposci & indicari nisi a viribus, quæ si robustæ sunt, conseruantur victu crasso; si tenues & inualidæ tenui; si mediocres mediocri; morbus, & alia præter naturam victu exhibito ęgrotanti augèntur potius, quàm expugnentur. ratio hæc est; morbus vincitur per concoctionem illorū humorū qui morbum faciunt; at natura dum intenta est alimentis concoquendis auertitur necessario ab humorū cōcoctione: deinde cibi naturam conseruant illi quidē, sed talem, qualis illa est; cumque natura præter propriam dispositionem affecta est; & à suo statu recessit; talem cibi conseruant quos æque ac si affectio illa pręter naturam esset naturalis. quamobrem esset maxime optandum, si fieri posset, vt curatio tota citra victum transigi posset, quo morbus facilius euinceretur, teste Galeno lib. 1. ad Glauconem cap. 10. Verum quoniam id minime permittit virium conseruatio; illud saltem conandum & enitendum est, vt victus vni conseruationi virium dica-

tus quàm minimum foueat morbum, ſymptomata, & morbi cauſas, quę quia ſunt præter naturam, non conſeruari ſed tolli, addo etiam eradicari poſtulant; quatenus vires indicent non ſolum formam victus, ſed etiam quantitatem, qualitatem, & quando; cum morbus abeſt, & quatenus his indicationibus plene ſit ſatisfaciẽdum, tũc non eſt huius loci diſputare; ſed tota hæc diſſertatio ad illam pertinet Medicinæ partem, quæ conſeruatiua dicitur. quod ſi morbus hominem male habet, eædem omnino ſunt indicationes, quod ad formam & quantitatem ſpectat, & ab ijſdem fontibus petitæ; non tamen illis eſt ſatisfaciendum, niſi quantum internæ præter naturam affectiones, & externi errores permittunt. Debita igitur victus forma & quantitas in morbis acutis ſumitur a viribus, tanquam ab indicante, & à re præter naturali, tanquam a permittente: debentq; hæc duo indicans & permittens ita conuenire; vt neque indicatio permiſsionis, neque permiſsio indicationis fines tranſiliat: Ad vires refero naturam & conſuetudinem ægroti, itemq; cauſas nonnaturales: nam quibus calidi eſt plurimum, ſiue id ætatis, ſiue innatæ temperiei eſt; pluri ea cauſa indigent alimento, quia dato pauco cibo exoluuntur; tenui vero cibo dato illum corrumpunt & vitiant, niſi molli ſint temperamento, vt infantes & puerul: quanta ſit habenda ratio conſuetudinis, quę eſt altera natura, notius eſt, quàm probatione indigeat. habendam eſſe rationem cauſarum non naturalium eſt æque perſpicuum; quia hyems & ver ventres hominũ facit eſſe calidiores; ac proinde pluri cibo indigere, ſecus dicendum de Aeſtate & Autumno, ſimilis differentia cernitur in regionibus. nam illorum aliquæ ventres reddunt calidiores, & voraciores.

raciores. aliquæ vero eoſdem reddunt minus calidos, & minus voraces, non tamen hæc, natura inquam, conſuetudo, & cauſę nonnaturales victus formã & quantitatẽ indicant, & definiunt, niſi ratione virium quarũ ſunt cauſæ; proindeque poſſumus abſolute pronunciare a ſolis viribus victus formam & quantitatem indicari tum valetudinis tum ęgritudinis tempore. Morbus & externa victus formam & quantitatem tametſi non indicant; ſed permittunt. quatenus tamen permittunt; definiunt etiam, atque determinant. obidque dici poteſt, debitam victus adminiſtrationem ſecundum formam, & ſecundum quantitatem a viribus deſumi, atque etiam à morbo & externis, quoniam debita victus forma & quantitas, non quemcunque victum ſignificat, ſed definitum & determinatum; ac tametſi vires victum indicent forma quantitateque definitum & determinatum; determinatio tamen & præſcriptio, quæ eſt a viribus, limitationem aliam ſuſcipit a morbo & externis, quoniam ęgroti non quantum vires poſtulant, veſcuntur; ſed quantum morbus & externa permittunt. eſtque hæc limitatio illa poſterior, contractior, & potior. Morbus debitam victus formam & quantitatẽ definit ex ſui conſtitutione, ex ſui partibus, & ex ſui ſpecie. ex conſtitutione inquam, quia quo morbus futurus eſt lõgior, eo craſſiori, & largiori victu eſt opus, vt ſcilicet in dies plures poſſit ſufficere virtutis robur; ex ſui partibus, quoniam etſi totus morbus cibum prohibet; non tamen omnes eius partes prohibent ęque; ſed eæ, in quibus concoctiones naturam magis occupant, prohibent magis; in quibus vero adhuc à concoctionibus natura vacat, prohibent minus, idem vero eſt minus prohibere, & magis permittere, magis pro-

hibere, & minus permittere. hinc ratio redditur cur sit dandũ plus cibi in principio morbi, quàm in illius incremento, & plus itẽ in incremẽto q̃ in vigore & statu. quod diximus de ratione sumpta à constitutione, & à partibus morbi, sumptũ est ab Hip. sect. 1. aph. 4. 7. 8. 9. 10. nõ me latet in inflãmationibus minus cibi esse dandum in principio ad sistendã fluxionẽ, quàm in incremento, & statu; in morbis itẽ thoracis, qui sputis iudicãtur, plus cibi dari in statu morbi, q̃ in principio & incremento, vt scribitur lib. 1. de victus rat. in morbis acutis tex. 23. sed hæc ad p̃sentẽ disputationẽ non pertinent; qm̃ etsi oratio est generalis instituta de debita victus administratione in morbis acutis; finis tamen & scopus est indagare victũ febribus malignis conuenientem; at malignis febribus nihil cum pleuritide, & inflammatione quacunque societatis est; nisi per accidens. Morbus ex sui quoque specie victus formam & quantitatem definit; quod sic exponit Franciscus Valesius lib. 1. methodi medendi cap. 6. Cum cibi dentur ob facultatem per se, quo morbi suapte natura fortiorem facultatem desiderant, vt vincantur; eo plus cibi dari permittunt, & quo partes affectæ minus cibum sustinere possunt; eo minus permittunt dari. Igitur in ijs morbis, quorũ materia intra thoracem consistit, lautius aliquanto agendum est, quàm cum naturalia instrumẽta excrementis obsidentur, quia cum neutri solui possint sine concoctione & expulsione, & concoctio in vtrisque solas desideret vires naturales; expulsio in illis naturales, & animales desiderat; in his naturales solas: nam quæ intra thoracẽ sunt, non aliter quàm tussiendo reijci possunt; tussis vero per vehementem expirationem agitur. & magna musculorũ apposita vi; si igitur eos, qui ita laborant,

borant, ſinas plus ſatis per cibi detractionē langueſcere; eueniet, vt cocta materia, ſola impotentia excreandi moriantur, quòd non raro euenit, aut ob ſanguinem improbe miſſum, aut victum extreme extenuatum; cū itaque per alios morbos ſolum ſit opus naturalibus viribus; animalibus vero minime; nec niſi ad facilem ſolū reſpirationem; per hos aūt animales etiā opus ſit ſeruari, ad tuſsis vehementiā; conſtat hac cauſa dandum eſſe his cibi plus, laborantibus vero hypochondriorū, atque aliarum partium morbis minus. Porro inter hos dandum eſt minimum, quibus affectio eſt in ventriculo, quia cum ipſa affecta pars primam ac maximam cibi commutationem ſit effectura; & cum crudiſſimo colluctatura; conſtat eam maxime à cibo læſum iri, atque ideo eum morbum cibū minime permittere; eaq́ue cauſa dandum minime, niſi aliunde orta neceſſitas cogat illius noxæ obliuiſci. hæc ille doctiſſime, & ingenioſiſſime. quibus ego addo quoſdā laborare tenuiſſimis fluxionibus aut ad thoracem, aut ad ventrem vel ſuperiorem, vel inferiorem; aut ad oculos, quibus ex ſpecie morbi conueniunt cibi craſſi, potius q̃ tenues; aliquibus item aluus plus ſatis laxa eſt, quibus ex morbi ſpecie conueniunt cibi tardi deſcenſus, quos conſtat eſſe forma craſſiuſculos. Item cum corpus deſiderat plus quàm poteſt venter conficere, vt quibus eſt concoctrix debilis, & alimenti indigentia multa, cibus dari debet paucus ille quidem, ſed craſſiuſculus, & multi alimenti, qualia ſunt vitella ouorum, piſtillo tuſę carnes caporum, aut gallinarum lacte nutritarum, & gallinaceorū teſticuli. ſic iubente morbi ſpecie. externi errores vires debilitant, naturamq́ue fatigant; indicantq́ue ob id augeri debere nonnihil cibum vel forma, vel quantitate, vel

etiam

etiam vtroque; nam victus qui omnibus legitime se habentibus vires erat conseruaturus solum; si externi errores contingant, illas non amplius conseruabit, sed imminuet necessario; quod si vires imminutæ non possunt fortasse contra morbum durare, actum de ægroto est; referuntur autem externi errores hac ratione considerati ad vires; è quibus iam dictum est victus indicationem sumi; non enim ex eo, quod non est, sumi indicatio potest, vti scribit Gal. sed alia ratione ijdem externi errores ad morbum referuntur, quatenus scilicet illum concoctione interturbata crudiorem, & diuturniorem reddunt; sicque non indicando, sed permittendo debitam victus formam & quantitatem diffiniunt; hactenus declaratum est vndenam sumatur debita forma, & quantitas victus in morbis acutis; res tamen videtur indigere lucidiori explicatione; quoniam coniunctim de forma & quantitate victus tractatum est; neque fuit expositum, quæ sit specialis & distincta ratio vtriusque cum inter se conferuntur. nam sicut ei qui vescebatur libra carnis arietinæ potest Medicus eiusdem carnis dare selibram, aut tertiam; sola quantitate victus immutata; ita homini consueto vesci vaccina, aut caprina salita, potest dare tantundem arietinæ neque recens mactatæ, neque siccatæ sale; & homini consueto accipere in cibis modicum carnis arietinæ potest dare tantundem pulli, quæ est immutatio victus secundum formam solum, & non secundum quantitatẽ. Respondeo in morbis acutis victus formam esse necessario immutandam; quia illis non potest conuenire victus vllus, nisi tenuis; quod manifestum est tum Hippocratis & Galeni auctoritate in aphorismis & commentis hoc capite citatis; tum etiam ratione; nam crassa alimenta tarde, &

de, & difficile conficiuntur; indigentque necessario forti & valida facultate concoquente; at concoctio alimentorum in morbis acutis debet esse cita; ne paroxismorum, & accessionum horæ horis cibationis impedimento sint: debet item esse facilis, quo naturæ vis minus distrahatur ab illorum humorum coctione, qui morbum faciunt. non igitur crassus victus morbis acutis congruens est: neque vero secundũ formam solum, sed etiam secundum quantitatem victus morborum acutorum est immutandus; quoniam exigua admodum & modica est extenuatio victus, quæ fit solum crassis cibis in tenues commutatis, põdere eodem seruato; cum quantum cibi crassities excedit materiæ difficultate, & ineptitudine; tantum ferme excedat cibi tenuitas mole, & extensione siquidem vterque pari pondere sumitur; at in morbis acutis debet victus plusquam sui dimidio esse tenuior, quàm soleat tempore valetudinis; quòd magis vrgeat tum sublatio morbi, quàm custodia virium; debent tamen imminutio victus secundum formam, & imminutio eiusdem secundum quantitatem ita conuenire inter se; vt simul neque exuperent debitam in morbis acutis alimoniæ præter sanitatis morem, subtractionem, & extenuationem; neque ab illa viciſſim exuperentur; quod si roget aliquis rationem per quam præcisus ille attenuandæ alimoniæ gradus internosci possit in quocunque morbo, seu chronicus, seu acutus ille sit; respondet Franciscus Valesius loco citato in hunc modum; in morbo futuro longo satis est partem alteram consueti in sanitate alimenti detrahere; in futuro acuto simpliciter, qui tres septimanas, aut quatuor nõ sit superaturus, duas tertias: in acutiſſimo, quique sit intra hebdomadam finiendus, nec sextam quidem partem

fortasse

fortasse relinques; hæc Vallesius. sed satius fuerit rem tanti momenti demonstratione certa explicare; generalemque methodum tradere, per quam error omnis euitetur. Morbus eatenus alimenti copiam prohibet, quatenus ea coctionis legitimum cursum potest interturbare; legitimus coctionis cursus in morbis quatenus fiat; & quatenus diebus indicibus dies critici respondere debeant, alterius loci est disputare. Medicus igitur quisque sedulo aduertat; quo victu ab ægris seruato, coctiones optime procedant in morbis acutis, pro certoque habeat illum esse conuenientissimum, & maxime congruum; quoniam nisi viribus satis constantibus; & nisi morbo in iudicatione optime eunte non fit legitimus coctionis cursus; de morbis qui paulatim soluuntur, alia ratio est; cum enim habeant & ipsi proprium quoddam, & legitimum temporis curriculum, quo finiuntur; non tamen vna aliqua, eaque integra coctione perficiuntur, sed pluribus; proindeque sufficit in illis victum instituere talem, quo cum æger in dies melius habeat; morbo æquabiliter, & conuenienter in solutionem abeunte. in morbis acutis est alia methodus etiam breuior, obseruentur principia accessionum; vigoresque, & declinationes earundem; victusque ægroti talis sit; vt cibi confecti; & concocti semper sint, saltem prima concoctione, ea scilicet, quæ fit in ventriculo; cum accessio morbi initium est proxime habitura; neque nouum alimentum ingeratur, nisi accessione decrescente & inclinante. ac non omni morbo acuto conuenire semper victum tenuem, sed aliquando mediocrem; aliquando supra mediocritatẽ esse posse victum acutis morbis conuenientem, videtur docere ex Hippoc. Gal. commen. in aphor. septimum primæ sect. Gal. verba hæc sunt;

in qui-

in quibus vero morbi vigor statim futurus est, hoc est in primis 4. diebus &c. vsque ad finem commenti. quanquã non nego morbis acutis vt plurimum conuenire victum tenuem, quod colligo ex illis verbis Gal. in commen. super aphor. 4. eiusdẽ sect. magna vero ex parte studemus in longis quidem morbis seruare vires in acutis autẽ &c. sed vterque locus magno indiget examine. Qualitates victus in quocunque morbo acuto desiderabiles hæ sunt vt cibi sint boni succi; faciles concoctu; & corroborantes modica quadam & exigua adstrictione; debent ijdem esse facilis descensus & aperientes, nisi vtrunque impediat aluus plus satis laxa. qualitates reliquæ variant pro varietate morborum, & pro varietate temperamentorum in ægrotis; ac quanquam communis regula est vt cibi qualitas sit temperamento ægroti similis, & morbo contraria; quia tamen sæpe accidit, vt morbus & temperamentum inter se contraria sint; obseruandum est, potiorem rationem esse habendam morbi, quàm temperamenti; ita tamen vt indicatio à temperamento sumpta nõ prorsus negligatur, v.g. laborat aliquis temperamento calido febre; febris poscit cibos refrigerantes; temperamentum cibos poscit calefacientes; indicationi sumptæ à febre satisfaciendum est, non indicationi sumptæ à temperamento; debent tamen cibi esse minus refrigerantes, quàm si æger frigido esset temperamento: supponimus autem; dum morbus aliquis curatur; naturam ægroti non reduci, sed custodiri, & seruari à Medico, quia custodia fit per similia; reductio autem per contraria: Opportunitas duo complectitur numerum, & horas cibationum; de numero cibationum in morbis hæc habet Gal. comm. in apho. 17. li. 1. si sæpius, aut raro, siue omnino nutrire oporteat;

Nn ab ægri-

ab ægritudine,& virib.primũ.& maxime accipitur; poſt hoc aũt & ab anni tẽpore,& ab ætate,& talibus. ſi enim vires laborantis debiles fuerint;& ea,quæ in corpore eſt, diſpoſitio,ſit ex corruptione humorum,vel defectu:parũ alimenti ſæpius talibus offeremus: parum quidem, quia virium imbecillitas non poteſt totam ſimul multitudinẽ alimenti ſuſtinere;ſæpius autem,quoniam multis indiget diſpoſitio, defectus ſiquidem exigit adiectionem; corruptio vero contemperamentum. ſi vero cum virium debilitate neque defectus aliquis affuerit; neque corruptio; humores autem ſecundum naturam moderate ſe habuerint,vel etiam ſuper abundauerint: his raro, & pauca afferemus,& multo magis iſtud agemus, ſi cum virium robore humores ſuper abundauerint. ſi vero cum humorũ defectu, vel corruptione vires validæ fuerint: tunc multos cibos,atque multoties ijs,qui ita laborauerint, dabimus: vtpote multos exigente diſpoſitione, & natura robuſta potente illos ſuperare. ſi vero acceſſiones non permiſerint; neq; multas alimenti offerẽdi occaſiones præſtiterint; raro plura exhibebimus: at ſi vires validæ fuerint cum plethorica diſpoſitione,rarò pauca offeremus: nam etſi eum, qui cibum debet conficere, robuſtum habeamus; quia tamen diſpoſitio multis non indiget; rationabile eſt,vt pauca afferamus. ſic quidem oportet & à morbo,& à viribus ęgrotantis ad ea quæ propoſuimus ſumere indicationes: à tempore autem,ætate, & conſuetudine,& alijs quæ his ſunt proportionalia; hoc modo;æſtiuo quidem tempore, quantum ad temporis rationem attinet,ſæpius pauca danda ſunt; quoniã & pluri egent adiectione, vt qui diſſoluantur, & vires habeant imbecillas; hyberno vero tempore multa quidem propter robur virium,

rium, sed raro: quia non valde multa indigent adiectione laborantes, vt quibus non multa fiat euacuatio: nam sanos quidem antea ostendimus sufficienter hyeme euacuari; quoniam plus habeant innati caloris: Vere autem medio, atque adhuc magis æstati proximo paucis & ex lõgo interuallo nutriemus; nã tẽpus id periclitatur, ne ꝓxime accedat ad plethoricã dispositionem, propter humorum, qui hyberni temporis frigore concreuere, fusionem; quẽadmodum ergo in plethoricis dispositionibus, si vires validæ fuerint; paucum cibum, & ex longo temporis interuallo damus: sic & in vere faciendum est; præsertim in febricitantibus, de quibus nunc sermo habetur ab Hippocrate; sanorum enim victum antea docuit. Autumnus vero morbis, qui ex corruptione fiunt, assimilatur. qua propter qui eo febricitant tempore cõtinua boni indigent adiectione, & si vires validæ fuerint; sæpe, & multa dabimus: sin imbecillæ, pauca, & sæpius afferemus. simili modo quispiam & ab ętatibus, & à consuetudine, & à regionibus sumeret indicationes, ad duas primas redigens intẽtiones. singula enim, quæ diximus, aut fortes, aut debiles vires efficiunt, & corpus reddunt, aut superabundans bonis humoribus, aut sufficientibus carens, aut vitio humorum deprauatum. hactemus Galenus. ex cuius oratione primum colligitur vires imbecillas semper postulare crebras & paucas cibationes; quocunq; modo corpus affectum fuerit, hoc est seu deficiant humores, seu superabundent, & seu corrupti sint, seu moderate, & secundum naturam se habeant; causam esse puto; quia sicut facultas ob debilitatem poscit cibum; ita ob hanc ipsam debilitatem non potest illum sustinere; quare datur minori quantitate pluries, vt quod integrum manens cõ-

ſici non poteſt; ſaltem per partes conficiatur; colligitur ex eodem Galeno vires robuſtas poſcere per ſe multos cibos, eosq́ue multoties exhibitos; non tamen huic indicationi eſſe ſatisfaciendum, niſi quantum ægroti diſpoſitio conſenſerit, & permiſerit; atque hæc de indicatione ſumpta à viribus: ab ęgritudine bifariam indicatur numerus cibationum; primũ ratione humorum, qui ægritudinem vel efficiunt; vel ſaltem fouent; ſecundo ratione acceſſionum. De humoribus vniuerſim Galenus pronunciat; illos qui defectum uel corruptionem patiuntur per ſe poſcere multos cibos, & multas cibationes; ſatisfieriq́ue commode his duabus indicationibus cum vires robuſtæ ſunt; quòd ſi vires ſint imbecillæ; raro & parum eſſe cibandos ægrotos, vt ſi multitudo ciborum dari non poteſt, quia virtus non poteſt illos conficere; ſeruetur ſaltem crebritas cibationum; ſubdit Galenus humores ſuperabundantes, & qui plethoram faciunt neque multis cibis, neq; crebris cibationibus per ſe indigere: quòd ſi roges quid differant inter ſe defectus & corruptio humorum; reſpondeo ex Galeno lib. 11. methodi cap. 12. deficere humores, tum quantitate, tum etiam qualitate; quantitate quidem cum ſanguis paucior, & minor iuſto eſt redditus; qualitate vero cum idem vel calidus, vel frigidus, vel craſſus, vel tenuis plus iuſto, minus ue eſt effectus; ex quibus uerbis colligitur ſanguinem, & humores reliquos non pati reuera corruptelam, illico atque in qualitate eſt præter naturam immutatus, ſed ad hoc, vt humor aliquis corruptus dicatur; quidpiam aliud prætérea deſiderari: id vero quidnam ſit, exponit Galenus lib. 9. de methodo medendi cap. 10. vbi ſcribit quidquid corruptum eſt, id alienum à natura eſſe; indicareq; ſui ablationem

tionem vel vena incisa, uel purgatione. De accessionibus sic uidetur Galenus statuere; illas sui natura prohibere crebras cibationes; quod de illis solum accessionibus intelligendum est, quæ non longo temporis interuallo se inuicem consequuntur: quæ de tempore scribuntur, perspicua sunt, hæc summatim & strictim ex Galeno; in quibus unum est, de quo ualde dubitari potest, num uerum sit: scribit enim Gal. corruptelam humorum per se poscere multos cibos, & multas cibationes contemperamenti gratia; at uidetur non esse contemperandum illud, quod sui ablationem indicat; quoniam Galenus lib. 11. methodi cap. 10. duæ inquit, in putridis febribus à putredine sumuntur indicationes, ut & quod putredinis iam factum est, sanes; idest euacues; & quod in generatione adhuc est, sistas; quibus uerbis palam facit, illud quod corruptum est non poscere sui correctionem, & contemperamentum, sed sui euacuationem; quod idem scripserat quoque lib. 9. eiusdem operis cap. 10. quem locum paulo antea citauimus. deinde scribit Hippocrates aphorismo decimo sectionis secundæ impura corpora quanto plus nutriuntur; tanto magis lædi; atqui per corruptelam humorum ægrotantium corpora redduntur impura: non igitur corrupti humores multos cibos, & multas cibationes postulant. Tertio morbus quatenus morbus nullum cibum postulat, ut scribit Gal. libro primo ad Glauc. capitu. 10. qua de re disseruimus antea; at humores corrupti ad morbum pertinent, non ad vires, ergo &c. Quarto morbi acuti consistunt præcipue, & maxime in corruptela humorum; at morbis acutis victus debetur nō plenus, sed tenuis; non igitur corruptela humorum multos cibos postulat; & multas cibationes, quia multi cibi

& mul-

& multę cibationes victum efficiunt plenum, non tenuē. Ad has dubitationes tollendas multi multa cōminiscuntur; Hugo præsertim Senensis, & Hyeremias Thrinerius commentarijs in aphorismum 17. sect. primæ; & decimū sectionis secundæ; ego existimo habere Galenum orationem de victu medicamentoso, non de victurestauratiuo; differunt enim non parum hi duo victus; nam cum omne agens agendo repatiatur; hincque fiat vt natuta cibos quoscunque inuertens & commutans, ab illis necessario repatiatur: longe maior est repassio, quæ fit à victu medicamentoso, vtpote attenuandi & alterandi vim habente quàm quæ fit à restauratiuo, & simplici victu; deinde victus medicamentosus fit maiori ex parte ex aqua, in qua medicamenta aliqua ebullierunt; at aqua quia est simplex elementum non potest in nostri substantiam verti; sed partim alterata, partim alterans permiscetur ferè integra nostris humoribus illosque tum fluidos, & tenues reddit, tum etiam contemperando emendat, & corrigit; hinc videre est, quàm turpiter labantur Arabum doctrinæ sectatores; dum maiorem in officinarum serapijs, quàm in decoctionibus facile parabilibus spem collocant; postremo differunt hi duo victus fine; restauratiui enim finis præcipuus est reficere non alterare & attenuare; contra medicamentosi victus præcipuus finis est alterare, & attenuare non reficere. non igitur mirum si corruptis humoribus plene & large conueniat cibus medicamentosus; quibus victus restauratiuus non conuenit, nisi tenuiter & parce. ita se habere constat ex Hippoc. qui sect. 2. aphorismo 9. scripsit, vbi quispiam corpora purgare voluerit; oportere illa antea fluida facere, & sect. 1. aphoris. 16. victum humidum febricitantibus conuenire. constat item

ex Ga-

ex Gal. qui lib. quos purgare conueniat, quibus medicamentis, & quo tempore ita habet. oportet priusquã purgans exhibeamus medicamentum, crassos humores attenuare, tenacesq; dissecare, & meatus recludere, per quos traijci, atque deduci queant, si purgatio succedere optime debeat, cum in reliquis omnibus, tum pręcipue in helleborum assumentibus. Vis enim medicamenti, quæ diuellit, cum humores affectis membris altius inhærentes excutiat; & ob hoc longis morbis prosit; facilius opus suum absoluit prius attenuatis humoribus. quod qui negligent, molestas obibunt purgationes; hoc est non sine terminibus, interdum & vertigine quadam, multaq; nausea, malo pulsu, exolutione & difficultate. elleborum itaque sumpturi naturã prius experiri debemus, quomodo illa se habeat ad supernas purgationes; eas dico, quæ vomendo fiunt: experiemur autem, si quę vomitum mediocriter prouocant, exhibuerimus; qui enim facile hoc pacto non purgabitur; hic nisi præparatus ad helleborum agendus non est; præparatur autem cum vomitu ipso sæpius facto; ita eo, qui helleborum accepturus est vomere promptius assuescente; tum melius etiam, si corpus humidum antea faciemus; humescit autem corpus parti m multo cibo, partim quiete; ac quietem quidem istud facere nemini dubium esse potest; quando vt exercitatio membra exiccat; ita quies, cum vacatio quædam, & exercitio contraria sit, humiditates conseruat; at cibus quamuis large ingestus, non omnis humectat; sed is, qui vehementes qualitates non habet, hoc est nec salsedinem, nec acrimoniam; nec amarus, aut acerbus sit. hactenus Galen. qui lib. 1. in 6. de morbis vulgarib. comment. 6. versus finem eandem sententiã repetit, oportere sci-

re scilicet membra solida mollire, tractabiliaque efficere, humores autem tenuare antequam veratrum exhibeatur; quamquam quid Hippocratem & Galenum nomino? quando experientia ipsa, & vsus Medicorum omniũ cum nostra sententia congruit? Ad primum argumentũ respondeo humores corruptos indicare quidem sui euacuationem; non tamen cõmode euacuari, nisi contemperatos, id est fluxiles, & tenues antea redditos. differt vero contemperamentum humorum corruptorum a contemperamento humorum, qui sunt semiputres; quod hi per contemperamentum ad naturalem statum reducuntur, ab imminenteque putredine præseruentur; illi vero per contemperamentum redduntur solum minus nocentes humanæ vitæ; ad excretionemque paratiores, & fluxiliores; cum impossibile sit, vt ad pristinam naturam reuocentur, ob immutabilem, & necessariam veritatem illius pronunciati è philosophorum fontibus petiti, quo dicitur à priuatione ad habitũ nullum regressum dari. Ad secundum. argumentum respondeo Hippocratem aphorismo decimo, secũdæ sectionis de ea nutritione esse intelligendum, quæ fit per victum restauratiuum, non de ea, quæ fit per victum medicamentosum; Ludouicus Mercatus lib. 1. de indicatione Medica aliam responsionẽ affert satis probabilem eo nempe loco impurum corpus ab Hippocrate appellari, non quod humores habet corruptos, sed quod scatet plurimis excrementis; vt sit sensus illud quo magis nutritur, eò magis lædi; eò quod ex nutritione, & frequenti ciborũ exhibitione plurima supersint excrementa, quibus corpus impurius redditur. Ad tertium respondeo morbum quatenus morbum nullum postulare cibum ad nutritionem, & refocillationẽ; postu-

lare

lare tamen ad alterationem, & incisionem humorum; atque ad mollitionem viarum & corporum per quæ expurgatio fieri debet; quæ responsio ad quartum quoque argumentum valere potest. De horis cibationis ferè conuenit inter Medicos; cunctique vno ore dicunt, seruandã esse cõsuetudinem ex Gal. lib. 11. methodi cap. 5. illa hora cibo sumpto, qua per sanitatem solebat sumi; nisi figura morbi id prohibeat; hoc est, nisi hora exacerbationis in eandem horam incidat: scitum enim est ex Hippocrate lib. 1. aphorismorum aphorismo 11. in accessionibus cibum dare noxium esse. cauenda igitur tota accessio, si fieri potest, ne labor labori temere addatur; sin minus, protrahenda cibatio est vsque ad accessionis inclinationem; quo tempore æger facilius morbum tollerat, ita tamen, vt vitetur initiũ sequentis accessionis per tres, aut quatuor horas, inquiunt Medici recentiores; Galenus vero lib. 11. de methodo medendi cap. 21. consilium dat, vt quã longissime à vigore præcedentis accessionis, & à principio accessionis futuræ cibetur æger; idque commode fieri posse, siquidem spacium, quod inter summum prioris accessionis vigorem, & sequentis principium interuenit; satis sit amplum; quòd si exiguum id fuerit, adeò ut necesse sit ægrum nutrire, aut admodum adhuc calentem, aut sequentis accessionis inuasione iam iam affutura; docet Galenus in loco citato, quidnam in tanta consilij angustia agendum sit; cuius doctrinam hic non repeto; quòd cuiuis liberum sit Galenum per se legere. Gal. lib. 9. methodi cap. 4. cibat febricitantem primum mulsa; deinde vna interposita hora alit eundem ptissanæ cremore. idem auctor lib. 10. de methodo medendi cap. 4. docet licere interdum cibare ægrotum proxime ante accessionis inua-

ſionem; vel etiam in ipſa inuaſione, quod poſt Galenum ſcripſit Oribaſius quoque lib. 3. tomi tertij, qui eſt de morb. curatione ad Eunapium fol. 619. cuius doctrinæ rationes apud illos legi poſſunt: atque hæc de victu in morbis acutis; cuius nomine non cibos modo, ſed etiam ſorbitiones intelligi volui; De potu paucis rem tota accipe. eius vſus per ſe ſunt vehere alimentum, impedire ſubſtantiæ diſſipationem, prę ſertim humidæ, & ſolari ſitim. de forma potus nihil attinet dicere, cum cōſtet fluxilem, & tenuem illum debere eſſe, quamquam fluxiliū liquorum, qui ad potū apti ſunt, multæ ſpecies ſunt apud Hippocratem toto lib. 3. de victus rat. in morb. acutis, vt vinum, aqua, mulſa, aqua hordei, oximel, & alia, quorū meminit textu 43. quorum vnumquodque vel craſſum eſt in ſuo genere, vel tenue, vel medium, eademq́ue maxima ex parte conueniunt in morbis acutis omnia pro varia occaſione; etiam vinum, vt docet Gal. 8. methodi. 3. notandum tamen non ex craſſitie, vel tenuitate ęſtimari formam potus, ſed ex vi maiori, aut minori prohibendi ſubſtantię diſſipationem, ſumiturq́ue potus forma ex ijſdem fontibus, ex quibus victus forma ſumebatur; quantitas reſpondere debet tùm cibis ingeſtis (alioqui pro concoctionibus alimentorum cruditates generarentur) tum etiam indigentiæ naturalium humidatū; dum tamen caueatur, ne retardentur coctiones humorum, qui morbū faciūt, potu nimis importune inculcato. qualitas ex ijſdē fontibus petitur, è quibus cibi & ſorbitionis qualitatem deſumi docebamus, vt ex Hippocrate colligitur lib. 2. acutorum tex. 36. ex temperamento nimirum, atq; ex morbo; quibus etiam ventriculi, capitis, ventris, & viſcerum naturale robur, vel imbecillitatem comprehendi volumus,

mus,

mus, quòd horum ratio habenda ſit maxime in potu pro ægris inſtituendo. numerus potationum deſumitur ex numero cibationum primum. ſecundo ex neceſſitate vrgente reficiendi ęgrum citius, quàm per cibum reficeretur; tertio demum, & poſtremo, ex ſiti vrgente, & ad potandum impellente. quamquam non deſunt modi ſolandi ſitim citra potum; quibus ſi ęger cõtentus non eſt; caueatur ſaltem in repetitis potibus; vt quam minimum impediantur alimentorum, & humorum concoctiones; quoniam illud viribus, hoc curationi plurimum officit; Horæ potus eædem ſunt, quæ & horæ cibationum. quatenus potus alimenti vehiculum eſt, horã potu vtendi ad ſubueniẽdum proſtratis viribus neceſſitas docet. at quatenus ſitim ſolatur; horis aliquot potum concedimus, in ipſo videlicet acceſsionis vigore; in quibus cibum minime concederemus; abſorbet.n.tum ardor febrilis hauſtũ liquorem; illumq́; expeditiſsime partim in halitum digerit; partim ad æſtuantia membra madefacienda tranſmittit. Hippocrates præter cibos, ſorbitiones, & potũ meminit etiam odorum lib.6.epidem.libro de alimento; & libro aphoriſmorum; ſcribitque illis ægrotum refici, & reſtaurari citius quàm cibis, ſorbitione, aut potu; ſed odores ſpiritus reficiunt, non ſolida membra; proindeque ijs tum ſolum vti debemus cum ſpiritus ex morbo diſſolutionem patiuntur; in quibus cauendum, ne ſua acutie vel caput repleant, vel vigilias inducant; vel febrem ſpiritibus accenſis adaugeant.

De debita administratione victus in malignis febribus. Cap. II.

SVNT qui contendunt febribus malignis non tenuẽ,& paucum,ſed craſſum,& multum victum conuenire; quibus ſi obijcias morbo acuto ex Hippocrate & Galeno nõ conuenire victum niſi tenuem; reſpondẽt Hippocratis & Galeni ſententiam de illis morbis acutis ſolis eſſe intelligendam; in quibus expedit naturam vacare morbifici humoris concoctioni; hanc enim impediri à craſſo & multo cibo; at in malignis febribus debere Medicos auertere naturam ab opere concoctionis; Huius ſententiæ fundamentũ eſt falſum,vt antea oſtenſum eſt in capite de humorum concoctione; ſententiaq; ipſa eſt falſa; etenim nullus Medicorum hactenus repertus eſt, qui negare potuerit per malignas febres ſolere vires magnopere debilitari, & languidas fieri; at vires languidæ multum, & craſſum cibum conficere non valent; non igitur craſſus, & multus cibus malignis febribus conueniens eſt. Alij ſunt, qui etſi reſpuant craſſum, & multum victum in febribus malignis, ne Petronam ſequi videantur, cuius meminit Gal. comm. 1. in lib. de victus rat. in morbis acutis com. 13.laudant tamen victum mediocrẽ; quorum ratio hæc eſt; maligna & peſtilens febris ſubſtantiam ſpiritus fortiter exoluunt, & materiam ad illius generationem indiſponit; ergo mediocri cibo, & potu æger alendus eſt, quo materia generationis ſpirituum ſuppeditetur: ijdem ſubdunt non ſolum mediocriter nutrire

trire debere cibaria, quæ maligne febricitantibus exhibentur, sed etiam debere esse facilis concoctionis; quo absumpti spiritus citissime regenerentur; quoniam vero illa quæ facile concoquuntur, tali sunt substantia, vt prompte huc & illuc mutentur; proindeque facilia, vt prius à pestilenti contagio corrumpantur; quàm à naturali calido vincantur; permiscent ijdem cibarijs mediocriter nutriendi vim habentibus illa, quæ pestilenti contagio obsistunt, v.g. acetosa, & acida. Hanc sententiam reprehendit Medicus quidam nostræ ætatis clarissimus in hũc modum. Morbis acutis magna ex parte neque plenus, neq; mediocris victus conuenire potest; sed solum tenuis, vt manifeste colligitur ex Galeno comm. in aphorismum 4. primæ sectionis; qua de re disseruimus nos in superiori capite; atqui maligna & pestilẽs febris morbus est, si quis alius acutissimus; non ergo mediocris, sed tenuis victus malignis & pestilentibus febribus conuenit. Hippocr. libro 4. acutorum textu 47. quibus (inquit) febres graues & implacidæ sunt, & hypochondria contendunt, iacentesque ægri sese continere non possunt, atque extrema frigescant; absolutissima tum custodia, tum diligentia indigent, eosque ita degere oportet, vt nihil præter oximeli aquosum tangant: sorbitionem autem non dabis donec sese malum remiserit; & vrinæ maturentur. Gale. in commen. adijciendum, inquit, est sermoni; si æger sufficerit; quod tanquam manifestum Hippoc. prætermisit. ego vero censeo illos qui tertiam, & illos, qui secundam sententiam sequuntur facile conciliari inuicem posse. Etenim doctrina est Hippoc. certissima aphorismo 5. primæ sect. tenuem victum, atque admodum exquisitum, eo qui sit paulo plenior, esse magis periculosum; quo loco victus

paulo

paulo plenior accipitur pro victu mediocri, ficut interpretatur Valesius cap. 1. lib. 8. controuersiarum; vt hic sit sensus aphorismi; tenuis victus est magis periculosus, quàm victus mediocris; quibus verbis docemur; eò respicere in victu instituendo homini acuto morbo laboranti, qui tenuis esse debet, vt is potius sit aliquantulum supra tenuitatem ad mediocritatem accedẽs; quàm subsistat infra debitum & conuenientem tenuitatis gradum. Idem Hippoc. lib. 2. de victus ratione in morbis acut. tex. 37. ciborum (inquit) adiectioni intendendum multo minus; nam subtrahere omnino sæpenumero expedit, vbi æger sufficere possit; donec morbi vigor maturuerit. in quem locum scribens Gal. ait admoneri nos ab Hippoc. in quantitate ciborum ad id, quod minus sit, procedendũ esse magis, quàm ad id, quod exuperat, vbi à iusto modo abscedendum sit; existimo autem Hippocr. per ciborum adiectionem; & Galenum per cibum exuperantem intelligere victum plenum & crassum, vt sit sensus verborum vtriusque; tutius multo esse victum infra mediocritatem subsistere, aliquantulumque inclinare ad tenuẽ; quam supra mediocritatem esse ad crassumque vergere. ex his duabus Hippoc. doctrinis consequens est; debere Medicum cum victum tenuem exacte debitum, & ad vnguem conuenientem ægroto ignorat; illum talem instituere, vt ad mediocritatem, quàm ad iusto exiliorem tenuitatem sit vergentior; itemque debere eundem cum à iusto modo, hoc est à mediocritate recedendum est; quia forte exacta, & symmetra mediocritas quę quæritur ignoratur; victum instituere talem, vt ad tenuem, quàm ad crassum sit magis inclinans; quæ si vera sunt; siue mediocris, siue tenuis esse debeat victus maligne febricitantiũ;

alter

alter alteri ex his duobus victibus parum intereſt; reueraque illi, qui tertiam ſententiam ſequuntur videntur nolentes labi in ſententiam illorum, qui maligne & peſtifere febricitantibus victum tenui largiorem ſtatuunt; cum ita ſcribunt. itaque ad me rediens, vt omnia complectar vno verbo, ego his ægrotis neque carnes conceſſerim, neque vinum, neque olera, neque aliud quippiam prçter panem ex aqua, vel iure coctum, ptiſanam hordeaceam, vel aliud huiuſmodi, aut oua recentia. at Gal. comm. in aphoriſ. 4. primæ ſect. oua dicit pertinere ad victum plenum, ideſt craſſum, & vires augentem, vt ipſemet in eodem cõmento ſe interpretatur, quanquam non poſſum diffiteri, videri Gal. varie accipere vocem hanc [plenum.] cum. n. loco citato victum plenum interpretetur illum, qui vires auget; tamen commento in aphoriſmum ſeptimum eiuſdem ſect. manifeſte accipit victum pleniorem pro eo, qui eſt minus tenuis; quaſi plenus victus idem ſit, qui non valde tenuis; ſeu nonnihil ſupra tenuem: & fortaſſe locus ille Galeni in fine comm. ſuper quartum aphoriſmum plenum victum accipit non pro craſſo, & vires augente victu quemadmodum præcedentia in eodem commento verba aperte ſonant; & quemadmodum aliqui interpretantur; ſed pro eo, qui non eſt tenuis; qui æque poteſt referri ad mediocrem, atque ad tenuem; cum certum ſit oua, alicam, & piſces ad mediocrem potius, quàm ad craſſum victum pertinere. quoniam vero ſcripſimus victum maligne febricitantium debere aliquantulum ſaltem ſubſiſtere infra mediocrem; æquum eſt, vt ad illorum argumentum, qui ſecundam ſententiam ſequuntur, reſpõdeamus. quanquam igitur malignæ, & peſtiferæ febris vires, & ſpiritus magnopere exoluunt; tamen victus medica-

mentoſus,

mentosus, qui largior esse debet, si vires ferant, in malignis febribus; sicut in superiori capite ostendimus, solus sæpe potens est remorari facilem spirituum & viriũ exolutionem; etiam si parum, aut etiam fortasse nihil nutriat, vt colligitur ex Gal. lib. 3. acutorum commẽ. 19. quòd si ad vires reficiendas, & spiritus regenerandos necessario sit opus nutritiuo, & restaurante victu; haud recurrendũ statim est ad mediocrem victum; cum satis esse possit victus ille, quem Gal. appellat pleniorem, hoc est, minus tenuem; quod colligo ex ipso Galeno in commen. super aphorismum nonum eiusdem sect. scripserat Hippo. hunc aphoris. Coniectari autem oportet, an æger cum victu sufficiat perdurare ad morbi vigorem; & nunquid prius ille deficiat, nec possit cum victu perdurare: vel morbus antea deficiat, atque hebetescat. in quem ita scribit Galenus, quia in superiori aphorismo, tantum iussit ab eo, qui extreme tenuis victus nominatur, declinare; quanto morbus mollior extiterit suo vigore; hoc in loco nunc alteram adijcit intentionem, vt quantitatem declinationis exquisite noscamus: est autem hæc intentio vis ipsa ægrotantis, cuius gratia nutrimus; neque enim morbi causa. Cum enim vis ita robusta fuerit, vt speremus ipsam posse perdurare totum tempus intermedium vsq; ad summum morbi vigorem, cum tali victus figura: tunc exquisitam habebimus declinationis, quam diximus, quantitatem. quòd si imbecillior extiterit; adijciendum est aliquid victui, & plenior est adhibendus tanto quantum virium imbecillitas expostulat; quocirca in ipso etiam aliquando morbi vigore, vbi casus aliquis interuenerit, robur naturæ dissoluens, nutrire cogimur. hæc Gal. dictum est de forma, & quantitate; explicatumque fuit quatenus

illa

illa à crassitie; hæc à multitudine abesse debet; subiunximus ex Hippoc. victum maligne febricitantium non debere esse nimis paucum, & nimis tenuem; sed talem potius, vt supra tenuitatem vergat nonnihil ad mediocritatem; cibosque laudauimus, qui cito, facile, & paulo infra mediocritatem nutrirent: at quemadmodum cibus secundum sui formam abesse debet à crassitie; ita secundum eandem ab inflammabilitate debet abesse; quanquam enim cibi & sorbitionis inflammabilitas ad tenuitatē referri videtur; reuera tamen non ita est; quia multa sunt tenuia vt acetum, quę tamen sui natura non sunt inflāmabilia: proindeq; erat seorsim de ciborum inflāmabilitate agendum; neque idem est cibum esse calidum, & esse inflammabilem; etenim cœpæ, allia, ruta, calefaciunt insigniter nostrum corpus, inflammabilia tamen, hoc est apta, vt aliunde magnum calorem actu suscipiant, non sunt, & frigida modice hausta non est sui natura calida, quæ tamen flāmam citissime concipit; in bilemque momento vertitur. Aqua ex carne destillata in duplici uase, bene, & cito nutrit; spiritusque egregie reficit; quæ tamē flammam prompte concipit; nisi carnes antea correctæ insigniter fuerint. Idem de contuso ex carnibus dicendum est. Aquæ omnes stillatitiæ, nisi vim habeant refrigerandi difficile superabilem, & firmè inuictam; & nisi largis haustibus sumantur; inflammamabiles sunt tum ratione substantiæ tenuioris, tum ratione igneæ qualitatis ex fornacario, & corbonario calore relictæ; ab his igitur omnibus abstinēdum quoad fieri potest in malignis febribus; quanquam aquæ stillatitiæ ad potum potius quàm ad victum videntur pertinere; proindeque de illis post erit accuratius agendum. De victus qualitate tem-

Pp pus

pus eſt, vt differere incipiamus; Probari victum refrigerantem, exiccantem, aperientem, & aliquantulũ adſtringentem in malignis febribus cuiuis notiſſimum eſt, refrigerantes cibi indicantur à febre, & putredine; aperientes à putredine, & obſtructione; exiccantes à putredine ſola; modice adſtringentes à viribus, quæ per febrem malignam concidere ſolent. Acetoſa, & acida his omnibus viribus prædita ſunt; non tamen ſola ſunt vſurpanda in cibis; neque in magna quantitate; quoniam penetranti ſua frigiditate nimiaq; acrimonia lędũt neruos, & neruoſas partes, in quibus connumerantur ventriculus & inteſtina; ſicque cruditates adaugent impedita concoctione aliorum alimentorum; ipſaque per ſe difficile coquuntur, boniq; & laudabilis ſucci per parum ex ſe poſt concoctionem relinquunt; ſunt eadem inimiciſſima vtero, qui & ipſe pars eſt neruoſa; atque à iecoris temperamento alienam naturam habent; quæ cauſa eſt cur nimio, & intempeſtiuo acetoſorum & acidorum vſu uiſcus hoc aliquibus refrigeratius, & debilius redditum fuerit, ut docte notat Iulius Alexandrinus lib. 18. ſalubriũ cap. 8. quin uidentur acetoſa, & acida uitæ ipſi per ſe, utpote frigida & ſicca, & uitalibus omnibus partibus eſſe inimica; quando os, linguaque ac palatum non ſatis illorum acrimoniam ferunt; ſæpe etiam, antequàm deguſtent, perhorreſcunt. Hinc Galenus tot libris de alimentis, & alimentorum facultatibus agens nuſquam tamen acetoſa & acida in alimentis numerauit, niſi quatenus aliorũ ſunt condimentum; quanquam igitur aceto, & acidis certum eſt res ad putredinem procliues à putredine prę-ſeruari; caute tamen, & modice illis vtendum eſt in malignis febribus, ne concoctioni & viribus iniuria fiat; robur

bur enim humanæ vitæ quod in calido & humido potissimum consistit; dissoluitur facile à refrigerantissimis, & exiccantissimis, quale est acetum, & succus mali citrij. Medici quidam nobiles & eruditi vt acetum reddant palato suauius, magis refrigerans, & ad resistendum putredinis malignitati accommodatius; illud destillari iubent cum solano, semperuiuo, verbena, nucibus immaturis, & similibus; quorum consilium non est aspernandum; illud certum est expedire in morbo quocunque prius incoquere acetum, & acida cum alimentis alijs, quàm in ventrem ingerantur, quòd sic parata, & correcta minus nocere possint humanæ vitæ. Præter acetosa, & acida vix alia reperias, quæ refrigerare, exiccare, aperire, & adstringere sola, & per se valeant; Arte igitur studendum est, vt in alimentis qualitates hæ reperiantur; virium tamen habita ratione: quia vt scripsimus in superiori capite alimentorum qualitates non desumuntur à solo morbo, sed etiam à temperamento, natura, & consuetudine quæ non tolli, & agitari, sed custodiri, & foueri similibus postulant. Calleat igitur Medicus omnia, quæ aut refrigerandi, aut exiccandi, aut aperiendi, aut modice adstringendi vim habent; condiendique parandi & simul permiscendi alimenta artem teneat; quo possit suo arbitratu, pro ut occasio postulat, & quantum naturale temperamentum permittit debitum ægroto victum præscribere; illis additis, quæ aut suaueolentia, vt aqua rosacea, vt aceto cariophyllato ex vetonicæ coronariæ floribus vt croco aut modo alio spiritus reficere, & corrobo rare valent; qua de re non est cur distinctiorem, & vberiorem orationem instituam, tum quòd plurima extent apud auctores alios, de quibus ex antedictis facile est iu-

dicium facere; tum quòd quisque per se pro varietate temporum, regionum, & consuetudinum solet ea immutare, quibusdam aut detractis, aut additis; num vero victus humidus maligne febricitanti non prodest, cùm febris maligna haud dubie febrium genere contineatur; vniuerseque Hippocrates pronunciauerit victum humidum febricitantibus conuenire? quòd si victus humidus ex vsu est maligne febricitantibus, vt potest ijsdem exiccans victus ex vsu esse? Respondeo vtrunque conuenire illum ratione febris, hunc ratione putredinis; magis tamen vrgere indicationem sumptam à putredine, quàm illam, quæ à febre sumpta est, quia febris maligna longe nocentior est ratione putredinis malignæ, quàm ratione febris, qua febris est, ac tametsi contrarię sunt inter se hę duæ indicationes; potest tamen commode Medicus vtrique satisfacere victum ægroto præscribens actu quidem humidum, potestate autem, & energia siccum. His ita generaliter definitis ad particulares aliquot cibos nostra disputatio traducenda est, de quibus contentiosa inter Medicos litigia sunt; num illa in curatione pestilentis, & malignæ febres pro victu conueniant; dixi (in curatione,) quia alia ratio est præseruationis, quàm curationis; cum plurima prohibere possit febris dum æger curatur, de quibus Medicus febre absente dum hominem à morbo præseruat minime sollicitus est. Est igitur quæstio primum de sale & salitis; deinde de allio, & de cibis aliquot vt allium calefacientibus; quæ & si calore suo respuenda prorsus videntur; cum neque febris, neque putredo calida postulet, aliqua tamen ratione contra putredinis malignitatem; vim & facultatem habent, vt merito dubitari possit num plus iuuent, quàm noceant, an econtra; plus

noceant,

noceant, quàm iuuent. Drudus Lusitanus lib. 3. de victu febricitantium cap. 19. & 20. & Ludouicus Mercatus lib. 1. de indicatione Medica cap. 1. fol. 122. censent salem & salita conuenire maxime in victu maligne febricitātium, mediocriter vsurpata; quoniam inquiunt, sal exiccantem facultatem habet; tenui sua substantia in altum corpus cita penetratione se immergit; nonnihil adstrictoriæ facultatis obtinet; sicque gustus sensu vellicato appetentiam excitat; membraque solida corroborat; sitim inducit, quæ & tanquam signum, & tanquam causa est optima in hoc febrium genere; præseruat à corruptela & putredine omnia efficacius quàm acetum, & acetosa; detergit, & abluit; aluum denique & vrinam mouent; cumq; hæc omnia præstet; est præterea humano generi in quotidiano victu maxime familiare; vt quod condimēto suo cibos reliquos reddit edules; qui sine sale insipidi, & ingrati viderentur; hæc maxima ex parte ita se habere apparet ex Hippocrate lib. 2. de diæta cap. 5. libro de humidorū vsu, aphorismo 9. & lib. de affectionibus seu de morbis fol. 50. itemque ex Galeno lib. 1. de simplic. medicam. facult. cap. 29. lib. 9. eiusdem operis in tractatu de metallicis medicamentis in voce Hales, & lib. 11. in tractatu de inanimatis, quæ ex mari, & aquis salsis proueniunt. his si obijcias salis, & salitorum vsu augeri, & incendi magis febrem; respondent debere Medicum magis respicere corruptionem grassantem, quàm febrem; quos ego existimo in manifesto errore versari, vt qui confundant salis vsum in morticinis carnibus, cum vsu eiusdem in uiuente corpore, & putredinē internā viuentis corporis cū putredine corporis inanimati, & vita carētis. Vitæ expertia cū putrēt, humiditatis excessu potissimū laborāt, quā inter-

nus

nus calor ob id cõtinere nequit, q.a exiguus eſt, & facilis ob diſſolutionem, vt à calore ambientis euocetur; atque in auram ſoluatur, quapropter inſperſione ſalis poſſunt à putredine præſeruari, quia ſal primũ excedentem illam humiditatem abſumit; deinde vero ſolidam ſubſtantiã adſtrictione ſua contrahit, & compactam reddit; vt deinceps ambientis calor non facile internũ calorem ſit euocaturus: at in viuente corpore ideo humores, & ſolida putrent, tum excedente humiditate concepta; tum calore naturali labaſcente, & ab ambiente diſſipationẽ patiẽte, quia perſpiratio impedita eſt, meatusque obſtructione occluſi ſunt; quæ res & ambientis, i. excrementorum calorem præter modum adauxit; & inutiles humiditates in corpore remanere fecit vaporibus, fuliginibusq; quæ expirare debebant illic præter naturam retentis; ambientis vero calor nimis adauctus euocauit, diſſipauitque uel ex toto, vel ex parte internum & naturalem calorem rei putreſcentis; ſicut igitur ad arcendam putredinem a corpore vitæ experte opus eſt illius ſubſtantiam contrahere, & velut ſolutã denuo compingere; ita in viuente corpore, vt putredo ab humoribus prohibeatur; aperire & reſerare omnia oportet; expiratiſque, aut quomodocunque euacuatis excrementis inutilibus ſolidæ partes ipſę per ſe ſufficientes ſunt ad debitam, & naturalem compactionem redire. Secundo excedens humiditas corporis vita carẽtis ſola qualitate, vel à ſale, vel à fumo, vel aliunde enata abſumi, & diſſipari poteſt; humiditate vero abſumpta ſatis eſt, ſi illius ſubſtantia contractior, & compactior reddatur; at in viuente corpore non poteſt ſufficere humiditatis abſumptio, & diſſipatio per ſolam qualitatem facta; ſed præterea opus eſt euacuatione, & perſpi

ratu;

ratu. tertio initium putredinis in corporibus vita & anima carentibus non eſt exceſſus caloris in ambiente; ſed illius humiditas tepente calore vaga, & ſoluens omnia; at putredinis initium in corporibus noſtris eſt calor exuperans ambientis; calor.n.naturalis propter obſtructiones coercitus in illa reflectitur, quæ efflare, & foras mitti debebant. hæc vero ſuper calefacta ſoluunt naturalem humorum compaginem; ſicque proprius illorum calor euocatur; humiditatumque prouentus fit, remiſſo calore humoris fręno; & excrementis coaceruatis, quæ erant euacuanda, vel per inſenſilem euaporationem, vel alio modo. hinc adaucta febre, & præternaturali calore in viuente corpore putreſcentiæ, & corruptelæ omnes intenduntur; contra in corporibus alijs accidit, quia adaucto ambientis calore ita, vt exiccet, putredo remittitur. Ex his conſequens eſt primum exiccantia, quæ etiã calefaciunt prohibere putredinem à carnibus morticinis; augere caloris ratione putredinem in carnibus viuentibus; deinde exiccationem ſolam qualitatem extinguere putredinem in illis, in his exiccationem ſolam qualitatiuam, niſi accedat refrigeratio quoque & inciſio, & niſi comes adſit euacuatio, parum & nihil ferè valere: his ego facile adducor, vt credam ſalem, & ſalita neque ratione febris, neque ratione putredinis conuenientem eſſe in victu maligne febricitantium; quibus accedit authoritas Galeni; qui, vt oſtendimus in ſuperioribus capitibus, religioſiſſime cauebat in febribus quibuſcunque, quæ leuiſſimæ nõ eſſent, ab vſu omnium calidorum; noſtræ opinioni atteſtantur experientia; nam eſu ſalitorum fiunt in hominibus vlcera, ſcabies, lepra, & id genus alia, quæ nihil ſunt aliud quàm putredines quædam; item ſalſedo eſt qualitas

tas præter naturam in humore quolibet; est eadem vitæ inimica; hincque sal aspergitur, vbi nihil nasci volumus, quòd si sal propter suum calorem victui maligne febricitantium congruus non est; multo minus potest esse illi congruum allium, quod ex sententia Galeni lib. 8. de simplic. medicam. facultat. excalfacit ordine quarto, vt mirũ sit Drudum Lusitanum lib. 3. cap. 20. cõmendare allium summopere in pestilenti constitutione, tùm præseruationis, tùm etiam curationis gratia; auget admirationem, allij natura, quæ non solum est calida; sed præterea, vt scribit Hippocr. 4. acut. tom. 90. flatum parit, capitisque grauitatem facit; & cibi fastidium; itemque si quispiam dolor ex consuetudine ante infestauerit; irritat; itẽ Hipp. lib. 2. de diæta cap. 7. allium (inquit) calidũ est; & aluum mouet; at vrinam ciet; oculis vero non est cõmodũ; multam. n. corporis purgationẽ faciẽs visum hebetat, aluum autem & vrinã mouet, propter vim purgatoriã: coctum debilius est, quàm crudum; flatũ aũt inducit propter spiritus intentionẽ. hæc Hipp. ex cuius oratione colligitur allio inesse vim humores etiam agitandi, & conturbãdi, quæ res cuiuis perspicuum est, concoctioni quantum incommodet; Hippoc. authoritati accedit Horatij venustissimi Poetæ carmen lib. 4. epodon, quod ita habet.

Parentis olim si quid impia manu
Senile guttur fregerit;
Edat Cicutis allium nocentius.
O dura messorum ilia;
Quid hoc veneni sæuit in præcordijs?
Num viperinus hic cruor
Incoctus herbis me fefellit? an malas

Canidia

Canidia tractauit dapes?
Vt Argonautos præter omnes candidum
Medea mirata est Ducem:
Ignota tauris illigaturum iuga,
Perunxit hoc Iasonem:
Hoc delibutis vlta donis pellicem
Serpente fugit alite.
Nec tantus vnquam siderum insedit vapor
Siticulosæ Apuliæ;
Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarsit æstuosius.
At si quid vnquam tale concupiueris
Iocose Mæcenas; precor
Manum puella suauio opponat tuo;
Extrema & in sponda cubet.

Quod de allio dictum est, idem de alijs cibis, & condimentis, quæ insigniter calefaciendi vim habent, est intelligendum; v.g. de cœpis, de ruta, de pullis columbinis, de panibus dulciarijs qui muscardini appellantur; de cinnamomo; de cariophyllis; & id genus alijs: atque hæc de qualitate ciborum, qui in febre maligna conueniunt, dicta sufficiant. Differendum nunc est de numero, & horis cibationum in maligna febre; quanquam facillimum est de re vtraque paucis decernere. dictum enim antea est in superiori capite cibandos esse ægrotos, qui acuto morbo laborant multum & crebro victu medicamentoso dum vires constantes sunt; restauratiuo autem victu parum & raro; quòd si vires sint imbecillæ, vtroque illos victu, sed præsertim restauratiuo parum & crebro alendos esse; quæ illic vberius exposita huc transferre nō est

necessarium; sicut neque illa, quæ de horis cibationum in quocumque morbo acuto abunde ibidem exposita fuerunt.

De debita potus administratione in maligna febre. Cap. III.

DISPVTATIO hæc duo solum comprehendit; primum est, num vinum virium ratione pro potu congruat interdum maligne, aut pestifere febricitantibus: alterum vero quinam potus à morbo desumpti maligne & pestifere febricitantibus sint conuenientes. Quod ad primum attinet Plutarchus in vita Iulij Cæsaris refert plurimos, qui peste correpti fuerant, non aliter sanari potuisse, quàm multo vino epoto, & bene inebriatos. deinde non videtur vinum in maligna febre à morbi acutie omnino prohiberi, quandoquidem Hippocr. lib. 3. de victus ratione in morbis acutis tex. 1. testatur manifeste conuenire vinum aliquando in morbis acutis; sed neque ratione febrilis caloris vinum videtur potus incongruens esse pro maligne febricitantibus; quandoquidem Gal. lib. 8. de methodo meden. cap. 3. de calidis & siccis naturis orationem habens, quum diariæ febricitant; Vinum (inquit) ipse conscius es omnibus me ciusmodi naturis concedere; sed quod tum aspectu, tum viribus sit aquosum; id enim ad omnia vtilius, quàm aqua est; vtpote quod & concoctionem iuuet, & vrinas ac sudores prouocet. Constat autem & Hippocratem non in diarijs modo febribus, verum etiam in acutis, [idest vt

ego

ego interpretor, in putridis & acutis febribus] ex ijs, quæ de acutarum victu prodidit, vinum dare. hęc Gal. ibi, qui libro 7. de methodo cap. 6. aquosi, seu oligophori vini naturam graphice depingit; quod si contendas non reperiri in nostris regionibus vinum, quod sit vere aquosum, & oligophorum; refellitur hæc responsio ex Gal. qui libro 3. de victus ratione in morbis acut. tex. 40. modum, & arte docet ex non oligophoro vino oligophorum faciendi. loci vero quos Gal. videtur ex Hippoc. citare voluisse cap. illo 3. lib. 8. sunt tex. 22. lib. 1. de victus ratione in morb. acut. tex. 1. & 41. lib. 3. & tex. 41. lib. 4. Neque vero contendat aliquis de illis morbis acutis verba Hippoc. facere, quibus aut nulla, aut leuissima febris coniuncta est; id enim falsum esse tum ex omnibus locis, quos citaui perspicuum est, vt apparet legenti; tum maxime ex textu illo 41. lib. 4. qui sic habet. quibus per febres aluus liquida est, & mens turbata horumque multi floccos vellunt, naresque fodiunt: & parum quidem interrogatis respondent; sed ex se nihil, quod compositum sit, dicunt: talia his melancholica esse arbitror; his igitur ita habentibus; si venter liquidus fuerit, & colliquans, sorbitiones frigidiores, crassioresque exhibendas esse puto: potusq; qui sistant, vinosioresque, vel etiam astringentiores. hæc Hippoc. non igitur dubium esse potest, quin Hippocr. ẽt in putrida & maxima febre, qualis est colliquans vinum ægroto concedat: his accedit ratio, tametsi enim ratione morbi non esset concedendum vinum febricitantibus, quia febris qua febris non calidam, sed frigidam potionẽ exposcit; certum tamen est tum labascere maxime vires per malignam & pestiferam febrem; tum vinum esse auxilium accommodatissimum, & valde præsentaneum ad

vires diu seruandas, & cito reparādas; egregie enim Hippoc. quicunque (inquit) veloci appositione indigent; ijs humidum ad reficiendas vires optimum est; at vim præstat liquoribus omnibus in viribus reficiendis; seruandisque, vt diserte scribit Galenus lib. 7. metho. cap. 6. nos rē totam per conclusiones aliquot exponemus: Prima conclusio est; uinum quantum in se est, febres accendit; hinc Gal. loco proxime cit. uno (inquit) uino in potu utendū censeo omnibus, quibus refici corpus est opus; modo nō febricitent, & libro 8. cap. 4. hæc omnia, inquit, iusto sunt calidiora; ideoque febres accendunt utique ut uinum. Hippoc. uero non febricitantibus modo, sed etiam naturis per se calidis sanitatis tempore uidetur uinum interdicere lib. 6. epidem. sect. 4. tex. 15. quem locum Gal. lib. 8. metho. cap. 3. ita interpretatur; quasi Hippocr. suaserit copiosius utendum esse aqua, quàm uino calidis naturis non modo cum febricitant, sed etiam cum sana sunt. uidetur autem uinum febres accendere, quantum in se est, adaucto calore febrili non adaucta siccitate, quæ & ipsa febri adiuncta est; quod patet ex cap. illo 6. lib. 7. de methodo medendi, vbi vinum tanquam humectans ad curandam & tollendam morbosam siccitatem pro remedio vsurpatur. Obijciat aliquis, si vinum per se adauget & accendit calorem, cur Gal. lib. 8. metho. cap. 3. calidis & siccis naturis diaria febre laborantibus vinum concedit? cur idem lib. 12. metho. cap. 4. vinum pro remedio ponit syncopis ortæ ex flaua bile, qui humor est omnium calidissimus? Respondeo Gal. lib. 8. metho. cap. 3. de morbis loqui, in quibus magis vrget siccitas, aut refrigeratio, quàm calor; tametsi febricitent; vt patet ex ipso orationis contextu; libro autem 12. cap. 4. non ad flauam bilem

lem

lem illum respicere, cum vinum pro optimo remedio laudat; sed ad symptoma, nempe ad virium exolutionem; quod idē facit cap.6. eiusdem operis, cum scribit vinum aquosum esse necessarium inter initia, post cibum sumptum ijs qui ideo syncopem patiuntur, quoniam refertissimi sunt succis tenuissimis, & qui facillime exhalant. Secunda conclusio est, febris, nisi magna sit, non prohibet vini vsum; si quidem alia febri adiuncta sint, quæ vinum pro potu febricitantis expostulent: docet hanc conclusionem Galenus plerisque in locis; atque vt omittam locos illos, quos hactenus citaui; lib. 11. methodi cap. 9. vinum conceditur ijs, qui febre putrida laborant, & lib.12. cap.5. His (inquit) & aquosum vinum idoneum ab initio statim est, si tamen vehementer non febricitent; quanquam non absolute, & indifferenter leuiter febricitantibus vinum Galenus concedit, sed ea lege & conditione, vt adsint in vrinis notæ concoctionis humorum, vt diserte scribitur cap. illo 9. libri 11. de methodo medendi. Tertia conclusio, vini vsum prohibent febris magna, vt patet ex antedictis, & phlegmon internus, vt scribitur lib. 4. methodi cap.7. proindeque cum vtraque febris, tum maligna, tum pestifera & magna sit, & sæpe etiam internum phlegmonem habeat adiūctum; neutri uinum pro potu potest conuenire. Quarta conclusio, quicunque sit morbus, & quæcunque sit febris, quæ hominem uexat; uini usus permittitur, cum uires maxime concidunt; ita ut illarum reparatio totum ad se Medici consilium trahat, & cum æger laborat ex defectu humorum potius, quàm ex illorum corruptela; utrunque probatur facile; seu uires magnopere cadant; seu humores deficiant; citæ refectioni studendum magis est, quàm

cura-

curationi; illaque quàm hæc magis urget; at nihil est, quod vino magis, & citius hominem reficiat, quod tamen non est absolute accipiendum, sed cum hac conditione, ut notæ appareant concoctionis humorum, & spes adsit aliqua salutis; sic enim Gal. lib. 11. methodi cap. 9. si (inquit) mediocris est febris, & uires non ualidæ, sed cum notis concoctionis; ijs, qui ita se habent, balneum prodest, & uini potio &c. & paulo post, si uero nec concoctionis habeat signa, nec uires ualidas, seruari is planè non potest, quo minus aut idem lauandus in balneo est, aut medicamentis ijs, quæ rarefaciant ungendus; aut vinum illi dandum, frigidave offerenda; in quo enim desperata omnino salus est, imprudentis consilij fuerit apud vulgum infamare præsidia, quæ multis fuere saluti; hæc Gal. ex hac quoq; conclusione deducitur in maligna febre vinum pro potu non conuenire: nam vt demus febrẽ pestiferam nasci interdum ex humorum defectu; vt accidit militibus illis Iulij Cæsaris, quos diu fames, & ciborũ viniq́ue inopia presserat; malignæ tamen febres ex humorum corruptela ferè semper nascuntur; nisi forte cum in colliquantes commutantur; tum enim humorum corruptelæ succedit sanguinis & partium solidarum defectus; proindeq́ue vini vsum admittunt eo tempore malignæ febres si spes salutis, & concoctionis notæ aliquæ adsint; in febribus item malignis rarissime accidit, vt cum notis concoctionis, & cum spe salutis vires maxime concidãt, citra syncopem, quæ est præceps virium lapsus; quapropter non aliter virium labascentium caussa vinũ conuenit maligne febricitantibus; quàm cum illi syncopem patiuntur: quod vero omni syncope vinum potum conducat, diserte docet Galenus lib. 12. de methodo medendi, cap.

di, cap. 4. in principio; differt à syncope leipopsychia, hoc est animi deliquium, vt fuse ostensum est in arte medica, scribitque Galenus eodem lib. 12. de methodo medendi cap. 5. versus finem conuenire vinum aquosum leipopsychiam patientibus, nisi uehementer febricitent: quia igitur per malignam febrem ægroti non leuiter, sed vehementer febricitant; distinguat Medicus diligenter in maligne febricitante à leipopsychia syncopem; cum in hoc febris genere syncopes uini potionem admittat; leipopsychia minime; atque hæc de primo capite dicta sufficiant. Quod spectat ad secundum caput potio in vsu frequenti maligne febricitantibus est aqua aut sola, aut medicata; aquæ medicatæ aut sunt stilatitiæ, aut sunt per decoctionem factæ; atque vtræque vsurpantur vel solæ, vel cum additione & miscella alterius potus, v.g. vini granatorũ, vini de ribes, oxisacharæ, oximellis, iulepi, syrupi clarificati, & similium. Aqua sola inalterata non est cõmodus potus in vllo morborum acutorum genere; vt longa oratione docent Hippocrates & Gal. lib. 3. de rat. victus in morbis acutis, textu, & comm. 40. amarescit enim, tarde pene trat; hypocondrio est infesta; lienem iecurque auget; incoctilis est, innatat, sitim non sedat; incõmodaque alia habet non pauca, illic ab Hippocrate & illius diuinissimo interprete Galeno recensita, quòd si in superioribus frigidam pro maligne febricitantibus ex Galeni doctrina laudauimus; non considerauimus illam tum, quatenus potui idonea est; sed quatenus, vt medicamentum affatim & copiose bibitur: differreque frigidam a se ipsa cum affatim & largiter, & cum moderate, & mediocri quantitate hauritur; alibi expositum est. Aquæ medicatæ stila-

titiæ

titiæ & per decoctionẽ bifariam vtræque possunt consi-derari, vel quatenus ex his, aut illis medicamentis fiunt, v.g. ex cichoreo, ex acetosa, ex endiuia, ex hordeo, ex borragine, & similibus; sicque in discrimen, & disputationẽ non veniunt; quoniã ex quibus aquæ stillatitiæ eliciuntur, ex ijsdem fieri possunt aquæ coctitiæ; certumq; est omnia quæ frigida & humida sunt, itemque fluxilia, si iucundo sint sapore prædita, esse aptissima ad potum maligne febricitantium, siue per decoctionem, siue per destillationem præparentur, sed & illud compertum est, quib. aquæ coctitiæ corrigi soleant ne frigore, vel flatu, vel alia praua qualitate noceant; v.g. aniso, coriandro, fœniculo, cinnamomi puluisculo, carnis frustulis, & similibus; ijsdẽ aquas quoque stillatitias corrigi. & quibus additur illis aut coloris, aut saporis gratia, v.g. amarãto, agrimonia, seminibus portulacæ, fęce vini exiccata, zuccaro, & alijs id genus; ijsdem quoque coloris, aut saporis gratiam his addi: comparantur igitur inter se stillatitiæ aquæ; & illæ quæ per decoctionem factę sunt, pro diuersa ratione, quibus paratæ sunt; illæ destillando, hæ decoquendo. differunt enim plerique docti Medici primum quid differant inuicem decoctio, & destillatio. secundo num decocta præstent destillatis, an è contra; & præsertim in febre aut pestifera, aut maligna, hac absoluta comparatione; alię duę comparationes in disputationis certamen ducendæ sunt; prima est aquarum stillatitiarum inter se; secundo comparatio est omnium aquarum medicatarũ, seu decoquendo, seu destillando præparatarum cum aqua per se, & simpliciter sumpta. in prima differetur in duas partes diuisa quæstione quantum stillatitię aquæ sint ob id inter se dissimiles, quia metallicis, vel terreis, vel vitreis vasis; aut

quia

quia hoc vel illo modo per alembicum elicitæ sunt in secunda, qua ratione absint ab aquis medicatis vtrisque vitia illa, quæ aquæ per se & simpliciter sumptæ ex Hippocrate, & Galeno inesse dicebamus. his absolutis disputationib. differetur de miscellis, quæ medicatis aquis adduntur, cum ęgrotis propinantur; sicq; toti operi finis impositus fuerit. Decoctio igitur destillationi, quid interest? dixerunt aliqui in decoctis seruari vires medicamentorum, in destillatis minime; quorum opinio probabilitatem aliquam habere videtur in ijs aquis destillatis, quæ neque odorem, neque saporem medicamentorum seruant; [esse enim aquas quasdam stillatitias, quæ medicamenti saporem & odorem retinent; quasdam quæ non retinent cuiuis notissimum est] quos argute & docte confutat Victor Trincauellius libro primo de compositione medic. cap. 19. ostendens odorem & saporem in superficiarijs medicamenti partibus consistere; proindeque siue illi retineantur, siue non retineantur, in stillatitia aqua nihilominus seruari in eadem vires præcipuas medicamenti; exemplaque addens non pauca, quæ rem ita se habere perspicuè demonstrant. verum discrimen inter decocta, & destillata in his præcipue consistit; aquæ stillatitiæ solum tenuem partem medicamenti continent, in decoctis pręter tenuem crassa quoque & roborans pars continetur; vt hæc intelligas, notabis non posse chymistas extrahere per alembicum ex medicamentis crassiorem illorum partem, nisi vel oleum, vel salem, vel quintam essentiam eliciendo; a quorum natura longe abest aqua stillatitia, quæ potui est idonea; secundo in decoctis

Rr reperitur

reperitur medicamenti ſuccus talis ferè, qualem natura fecit; in aquis ſtillatitijs non niſi admodum rarefactus, & attenuatus; tertio decoctionis eſſe poſſunt multi gradus pro numero, & pro feruore maiori, vel minori ebullitionum: præſcribunt enim Medici decoqui medicamenta tot ebullitionibus, quot ad illorum virtutem extrahendam opus eſt; igneque vel lento, vel valido. Deſtillationis primi, & generales gradus tres ſunt; prout tres ſunt calores, quorum ope deſtillatio perficitur ſolaris, igneus, & putredinoſus, ſeu ex fimo; ex quibus vnus tantum ad aquas ſtillatitias potui idoneas eſt accommodatus; is nempe, qui ab igne eſt, qui etſi varietatem aliquam recipit; quatenus deſtillatio ab igne fit, vel immediate; vel interuētu, aut aquarum feruentium, aut vaporum, aut cinerum, aut arenarum tenuium, aut ſcoriæ læuigatæ &c. quatenus item ignis flamma maior eſt, aut minor, & ligna aut putria, aut non putria, & aut graueolentia, aut bene olentia; & aut integra, aut diſſecta; & aut viridia, aut ſicca, carboneſque, aut ſemiuſti, aut tum primum vri incipientes; atque facti aut ex his, aut ex illis lignis; quatenus denique clibanus, & vaſa, vel magna, vel parua, vel ex hac, vel ex illa materia confecta, & vel hoc, vel illo modo figurata ſunt; varietas tamen hæc modos potius extractionis quā gradus coctionis efficit; modos extractionis voco vaporem aut ſiccantiorem, aut minus ſiccantem; aliena qualitate magis vel minus infectum; tenuioremque, vel minus tenuem & fortius denique vel minus fortiter expreſſum; coctionis gradus ap-

pello

pello diuturniorem, vel minus diuturnam, & vehementiorem, vel minus vehementem elixationem, quarto aquæ ſtillatitiæ ſunt tenuiores, leuiores, & penetrantiores quàm decocta; cauſa eſt, quia maior fit attenuatio medicamenti in deſtillatione, quàm in decoctione; non enim eſſe poteſt aqua ſtillatitia niſi medicamento primum in vaporem verſo, hocque deinde frigidi corporis occurſu in aquam concreto; quorum neutrum accidit in decoctione, quæ fit calore humido ſolum exprimente, & coquente ſuccum medicamenti, in quo virtus inſidet. diſcrimen hoc inter decocta, & deſtillata pendet ex diſcrimine caloris illius, qui deſtillationis, & illius, qui decoctionis auctor eſt; is enim quam hic eſt magis exurens, magis vorax, magis depaſcens, & magis deſtruens. ſumuntur hæc omnia ex Hippocrate, qui libro de aere, aquis, & locis docet aquas pluuiales ob id eſſe alijs aquis leuiores & tenuiores, quia fiunt vaporibus vi Solis primum elatis ſurſum, deinde vero in aquam commutatis. at deſtillatio, quid eſt aliud quàm ars quædam naturæ pluuiarum genitricis æmula? Quinto aquæ ſtillatitiæ minus obnoxiæ ſunt corruptelæ, & putredini, quàm decocta; id conſtat experientia ipſa; diutius enim ſeruantur ſtillatitiæ aquæ quàm decoctiones; quod idem pluuialibus quoque aquis contingit, ſi cum aquis alijs conferantur; ob id Galenus lib. 7. de compoſitione medicamentorum ſec. locos compoſitionem arteriacæ diacodion in aqua pluuia fieri, & coqui vult, vt medicamentum putredini ſit minus obnoxium. non me latet Hippocratem vi-

deri aliter ſentire, qui loco citato, nempe in libro de aere, aquis, & locis ſcribit, pluuiales aquas facillime præ aquis alijs mutationes quaſuis recipere; cui ſententiæ Paulus quoque ſubſcribit, qui docet aquam pluuiam citiſſime putreſcere ob mixtionem, quam habet ex diuerſis ſubſtantijs; ſed quidquid ſit de pluuia aqua; (qua de re Chriſtophorus à Veiga libro ſecundo de arte medendi ſectione tertia, capitulo primo, & alij) certiſſimum, & vſu quotidiano probatiſſimum eſt aquas ſtillatitias ſeruari diutius incorruptas, quàm decoctiones; cuius rei cauſam puto eſſe poſitam in mixtione ſola; nam mixtio deſtillatorum & fortior eſt compactiorque, vtpote per minimas portiunculas ſeſe mutuo penetrantes facta. ratione ſucci in vapores minimos attenuati; atque eſt etiam æquabilior, quòd tenuiores medicamenti partes abierint omnes eodem modo, & æquabiliter in vapores; vaporeſque in aquam; in decoctione contra ſe res habet; quoniam ea confuſio eſt potius quædam diuerſarum miſcellarum, quàm vera mixtio. Sexto, aquæ ſtillatitiæ ſunt frigidiores natura, quàm decocta, quod ita demonſtro; aquæ ſtillatitiæ factę ſunt ex partibus tenuioribus medicamenti in vapores conuerſis; quæ tenuitas non eſt aerea, ſed aquea; tenue etenim mixtorum quod aereum eſt, pingue & oleoſum exiſtit, quod vero tale eſt, ſi in vapores vertatur; non aquam facit, ſed oleum; aut quidpiam oleo ſimile; hinc videas aquam ſtillatitiam ex carne, & iure extruſam, & minus calefacere, & minus habere vnctuoſitatis, quàm carnis decoctionem; at in decoctionibus per-

miſcentur

miſcentur vna aqueę, & aereę partes, cędemque contemperant ſe inuicem; partes terreæ vtrobique ſubſidere ſolent; atque in obiectam, excrementitiam, & ſeparatam fęcem abire; quidnam vero cenſendum de igneis, & calidis halitibus? num hi vegetiores, & copioſiores non ſunt in deſtillatis, quàm in decoctis? num non expirant in decoctis, remanent autem integri in diſtillatis? haud dubium eſt duplicem è calefacto corpore expirationem emitti alteram calidam, & humidam; fumoſam, calidam, & ſiccam alteram; illam Ar. vocat ἀτμὶν, græce; nos latine vaporem; hanc Ariſtoteles græce ἀναθυμίασιν appellat; nos latine exhalationem, & igneum halitum. Vapor ex aqua & terra educitur madentibus vi caloris; exhalatio ſeu igneus halitus vi caloris euocatur, atque in ſublime tollitur ex corporibus aridis, & minime madentibus; verba Ariſtotelis capitulo tertio libri primi meteorol. ita habent; vaporis (inquit) natura humecta, calidaque eſt; exhalationis calida, & arida, eſtque vapor, potentia, vt aqua; exhalatio potentia vt ignis. cap. autem quarto ita; incaleſcente à ſole terra halitum fieri non ſimplicem, vt quidam putant; ſed geminum neceſſarium eſt, alterum vaporoſum magis; alterum magis ſpiritoſum; humidi quidem halitum, quod in terra, & ſuper terram exiſtit, vaporem: terræ vero præaridæ exiſtentis anhelitum fumidum; è quibus qui ſpiritoſus eſt, eum caloris beneficio inuehi; qui vero humentior, ſubſidere ob grauitatem; hæc Ariſtote. cuius ſententiam elegantiſſime expreſſit Iouianus Pontanus his carminibus.

Terra

Terra etiam duplicem exhalat ſaturata vaporem,
Humidus hic, craſſoq; madens ſe corpore vix fert,
Aridus, & calido ſuffimine proſilit alter.
Accipit hos latè in gremium circumfluus aer.

Certum eſt herbas, & medicamenta ex quibus aquæ ſtillatitiæ eliciuntur, corpora eſſe non fumida, & arida; ſed humecta, & madentia; non igitur ea exhalationem, ſeu igneum halitum, ſed vaporem de ſe emittunt, cum calefacta ſunt. Pluuia ex vaporibus genita receperit in ſe exhalationes aliquot; quoniam vapores è corporibus humidis euocati in aere miſcentur, & confunduntur cum exhalationibus; quas vis, & calor ſolis è fumidis, & aridis corporibus eduxit; nunquam tamen conceſſerim vnde vapores eliciuntur; inde exhalationes etiam vno, atque eodem tempore elici; quòd ſi aliquæ eliciuntur, obruuntur & diſſipantur à vaporibus, ſi quidem horum ſit maior copia, quàm illarum; id videre eſt ex ipſamet pluuia; quæ cum fiat maiori ex parte è vaporibus à mari, & ſalſis aquis euocatis, qui haud dubie ſalſedinis amaritudinis, & nitroſitatis aliquid habent, quibus accedunt puri halitus aliunde educti, dulcis tamen eſt ſemper; halituoſa qualitate non ſolum non concepta, ſed etiam depoſita omnino, ſi quam habebat; fallitur igitur, erratque toto cœlo Braſauolus, cum ſcribit in ſuo aquarum examine; aquis per deſtillationem caloris aliquid accedere; deſtillataque quàm decocta cæteris paribus eſſe ſemper calidiora. ex his tanquam corrollarium deducitur præ-

ſtare

ſtare decocta deſtillatis in maligna febre: nam aquæ ſtillatitiæ ſua tenuitate vertuntur in bilem facilius; ſua penetranti frigiditate ventriculum lædunt; aquoſitateque ſua tum accedunt magis ad crudas aquas, quàm decocta, tum habent etiam minus medicamentoſi. ſunt qui præferant deſtillata decoctis, qui a veteres aliquot pluuiam aquam; quæ aqua eſt quędam ſtillatitia aquis alijs, fontanis nempe, putealibus, fluuialibus, & aquis è ſtagnis prætulerint; qui non animaduertunt longe diuerſam rem eſſe aquam cum aquis, & aquam cum decoctis comparare. quid differunt aquę ſtillatitiæ metallicis, & plumbeis maxime vaſis elicitæ, ab ijs, quæ vitreis, aut terreis vaſis extractæ ſunt? Andreas Matthiolus, & plerique alij has illis anteponunt, quòd ſint limpidiores, quòd facilius retineant odorem, ſaporemque herbarum, è quibus eductæ ſunt, quòd ſint minus fumidæ, & quòd nullam ex vaſe prauam ac nocentem qualitatem conceperint; ſicut illæ, quæ plumbeis vaſis fuerunt deſtillatæ; concipere autem aquas ex plumbo malignitatis aliquid probant ex Galeno, qui libro ſeptimo de compoſit. medic. ſecund. locos ſcribit, fugiendam eſſe aquam, quæ per plumbeos canales deriuatur, quòd in illa limus quidam ex plumbo contineatur; hincque accidere, vt qui aquę eiuſmodi fœcem combibunt, dyſenterici euadant. Michael Ioannes Paſchalius libro primo, de curandis morbis non (inquit) quorundam iuniorum ratio de vi pernicioſa plumbi, & æris, quibus deſtillantur aquæ vi ignis, obſtat; cum etiam omnia medi-

camenta

camenta composita fiant illis vasis ; in quem locum scribens Petrus Paulus Pereda, alij (inquit) harum aquarum vsum non probant , existimantes eas ex ære, aut plumbo prauam acquirere qualitatem ; horum rationes leues sunt ; prædictæ enim aquæ neque calorem acquirunt, neque qualitatem ex ære , aut plumbo ; non acquirunt calorem , quia non vruntur , & ita si calefiunt , statim illa caliditas euanescit ; non acquirunt prauam qualitatem, quia neque plumbum , neque æs tunc liquantur. hęc Pereda. contra illud quoque , quod Galenus scribit de aquis per plumbeos canales deriuatis, hæc scribit Gulielmus Rondeletius capite decimo libri de dignoscendis morbis : aqua quę per canales plumbeos fluit, iuxta Galeni opinionem , ob cerussam , quę in illis generatur, dysenteriam inducit , quod tamen experientia falsum comperi : Monspessuli enim frequentes sunt cisternę , in quas per plumbeos tubos aqua influit ; quo in loco minus solent grassari dysenterię, quàm alibi totius Gallię , etiam vbi nullę sunt cisternæ ; præterquam quòd cerussa , nisi acetum adsit, non potest generari ; hæc Rondeletius qui falso inducit Galenum de cerussa scribentem in loco proxime citato, cum ibi Galenus cerussam ne nominarit quidem. Mihi tamen Matthioli sententia magis probatur ; quia plumbea vasa neque recenter in vsum adhibita limosam & albam fęcem in stillatitijs aquis relinquerent ; neque longo & diutino destillationis vsu crustam quandam gypseam vndique contraherent ; nisi per destillationem ex illis quidpiam corraderetur . quod certum

tum eſt humana vitæ obeſſe potius, quàm prodeſſe; ex modis deſtillationis illum eſſe laudabiliorem, & humanæ vitæ ſalubriorem, qui propius accedit ad decoctionem, nemini dubium eſt; at ad decoctionem accedit maxime deſtillatio, quæ fit per Balneum Mariæ; quam videtur adumbraſſe Galenus libro ſeptimo de compoſit. medic. ſecundum locos capitulo ſecundo, libro tertio de compoſit. medic. per genera capitulo quinto, & libro quarto de ſanit. tuenda capitulo octauo, quibus locis laudat coctionem illam, quæ fit in diplomate, hoc eſt in duplici vaſe; accedere magis ad decoctionem ſtillatitias aquas per balneum mariæ elicitas probatur facile ex qualitate & natura caloris, qui deſtillationis eſt opifex; quo enim hic vaporoſior, & humidior eſt; eo eſt ſimilior decoquenti & elixanti calori; qui ſeparat potius, quàm diſſoluit, & miſcet magis quàm diſgregat; quanam vero ratione abſunt ab aquis medicatis vitia illa, quæ aquæ ſolæ, & ſimpliciter ſumptæ ex Hippocrate & Galeno ineſſe dicebamus? vt aqua medicata penetret; non ſit infeſta hypochondrio; lienem, iecurque non inflet, vt ſit coctilis, vt non innatet; coctio ſola, vel deſtillatio efficere poteſt; calor enim qui tum coctionis tum deſtillationis cauſa eſt, & ſui impreſſionem quandam quam Ariſtoteles vocat ἐμπύρευμα; in aqua relinquit; quæ illam extenuat redditque minus crudam, minus grauem, minus flatuoſam, & magis coctilem; ac præterea efficit, vt dum aqua feruet, & agitatur ſubiens aer in eam recipiatur; qui illam reddit le-

uiorem, & aptiorem, vt omnia penetret, & per omnia sese insinuet; reddi aquam tenuiorem leuiorem & magis peruiam per calefactionem constat ex antiquorum consuetudine, qui vt aquam & oleum redderent frigidiora; illa prius calefacta niue, aut frigidissima circumfundebant, vt constat ex Galeno libro secundo de simplic. medicam. facult. capitulo septimo; libro septimo de methodo medendi capitulo quarto, & libro quarto in sext. epidem. comm. 10. quo frigus promptius per omnes partes exciperent; hinc Hippocr. apphor. 26. libri quinti aqua (inquit) quæ cito calefit, & cito refrigeratur leuissima est; Vt vero non amarescat aqua neque in bilem facile vertatur; non id calor coquendo efficere potest; quin contra accidere puto, vt aqua scilicet cocta, vel destillata facilius in bilem permutetur, quàm cruda; scitum enim est apud Philosophos axioma in habentibus symbolum transitum esse faciliorem; at aqua cocta similior bilis est, quàm cruda, quòd si coctio, & destillatio vitium hoc nequeunt ab aqua tollere; neque illud ab ea tollent, quo dicebatur sitim minime sedare; quoniam ab incalescentia, & ab amaritudine fit, vt aqua sitim non sedet; facultas igitur in decoctis, & stillatitijs aquis tum sedandi, sitim, tum fręnandi potius, & compescendi quàm augendi bilem à medicamento est tota; verbi gratia, ab acetosa, à succo mali citrij, à iulepo acetoso, ab endiuia, à portulaca quæ refrigerando valent; à carnibus, à molli panis, à zuccaro quæ valent incrassando: nam sicut substantię tenuitas aquam reddit

pronam

pronam vt in bilem vertatur : ita eiuſdem craſſities illi vim tribuit; ne facile in alienam naturam permutetur. Miſcellæ quæ adduntur potui ſaporis gratia, ob id pauca quantitate conceduntur; quia quantum qualitate aliqua, verbi gratia, frigiditate, vel aciditate iuuant; tantum qualitate alia, verbi gratia, ſtipticitate, vel acerbitate nocent; exemplo eſſe poſſunt vinum de ribes, vinum granatorum; omphacium; arantiorum ſuccus; pruna; & id genus alia : Modus eſt; vt permixta potui notabilem noxam non inferant, quod præſtabimus facile tum additis illis, quæ corrigendi vim habent; tum eorum pauca quantitate per magnam potus copiam obruta & obſcurata; quidque corrigitur per ſuum contrarium; qui ſapores quibus saporibus contrarij ſint cuiuis vel leuiter in literis verſato notiſſimum eſt; proindeque prolixiori hic oratione non eſt opus; quidquid vero illud ſit, quod cum potu datur; ſedulo inſpiciendum eſſe, quomodo ventriculus ad illud ſe habeat, & quàm multum vel parum eius concoctionem impediat; etiam me tacente perſpicuum eſt; atque hic eſto totius operis finis.

DEO GRATIARVM ACTIO.



LTISSIMA, immensa, æterna, inacceßibilis, immutabilis, fine carens, omnia permeans, inscrutabilis, simplicißima, inuictissima, & sapientißima lux; quæ mortalibus in inscitia, & rerum ignoratione versantibus discussa ab illis caligine, mentem illuminas; veritatem aperis, & viam ostendis, qua ad summam, iucundißimam, & beatißimam contemplationis fœlicitatem itur; quæ vbiq;; quæ nullibi: quæ intra omnia; quæ extra omnia: quæ potentißimis fulgoris tui radijs omnia creas; omnia foues; omnia sustines; omnia restituis; quæ homines ob peccata incidere in ægritudines facis; quæ eosdem benignitate tua inenarrabili à languoribus liberas; vitæ opifex, salutis artifex, & bonorum omnium parens; Ego Theodorus Angelutius, quem tuæ pote-

statis

statis vis plasmauit; quem tua bonitas in hanc vsque diem superstitem perduxit, quem tua sapientia erudiuit; quem denique tua benignitas ab orci faucibus sexcenties eripuit; Humilis, demissis, inclinatisq; ceruicibus, atque humi prostratus tibi DEO meo, CREATORI meo, CONSERVATORI meo, & REDEMPTORI meo omnes, quas possum cogitatione complecti gratias ago tum de beneficijs omnibus, quibus me nullis meis meritis liberalissime omni tempore, & profusissime es prosequutus; tum maxime de salute, quam mihi maligna correpto febre munificentissime, & de improuiso præter omnium expectationem anno præterito restituisti; ac præterea de lumine infirmis ingenij mei viribus in hoc texendo libro vberrime præstito; in quo si quid est, quod veritati consentiat, & quod mortales malignæ febris lue conflictatos iuuare posit, à te est totum; qui via es, veritas, & vita; si quid vero est, quod à veritate dissentiat, &

miseris

miseris ægrotis nocumento futurum sit; à me solo est, qui vermis sum, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Dignare lux, quæ nunquam occidis, & quæ dies facis sine nocte, dirigere me in inuestigatione veritatis, ita vt errorum tenebris dispulsis puros, impermixtos, syncerosq; ex fugacibus, & obscuris sensilium corporum imaginibus veritatis thesauros eliciam: mihiq; insuper liceat immensæ tuæ bonitatis ope & meam, & natorum, ac natarum mearum vitam ita componere et instituere, vt ex hac mortali vita decedentibus aditus ad venerationem tuæ splendidißimæ Maiestatis non sit interclusus.

